34. 6. D. 22
12
304

COENÆ D. CYPRIANI Argumentum, Barth: Valu.

HVIVS COENAE NOMINE, NIHIL aliud ſignificari videtur, quàm Deum Opt. Max. hunc mundum cōdidiſſe, vbi tanta pulchritudine, venuſtate, & conuenientia, tot ſpecies animantium, tot fructuum, quos terra profert genera, ad hominum vſum, & vtilitatem omnia parata ſint. Itaq; iuxta virtutum, ac vitiorum qualitates & affectiones, quas ſibi quiſq; ex arbitrio contraxerit, & actiones, quibus ſtuduerit, licere omnibus creatis rebus perfrui. omnibus enim ſuam pro cuiuſq; conditione ſtationē, diuinitus eſſe attributam, inq; ea ſtrenuè laborandū. Porrò qui optimi fuerint negotiatores, & in virtutis ſtadio legitimè certarint, corpore ſolutos, in ſublime illud aëris ſpatium, celeri impetu, volatuq; ferri, ac penetrare cuncta, vbi beati æuo ſempiterno perfruentes, immortali Regi, gratias agant immortales. Iis verò, qui de recta virtutis via, curſuq; deflexerint, & turpiſsimis actionibus ac voluptatibus indulſerint, etiam ſuis malefactis iuſtam mercedem rependi. Probos viros atq; innocentes, ſi leui aliquo crimine ſe contaminârint, interdum etiam affligi, calamitatumq;, & aduerſitatum, quaſi igne quodam expurgari. ſceleratos & impios, in operibus manuum ſuarum comprehendi, quibus deturbatis, atq; in exitium ſempiternum detruſis: iuſtos tandem lauaturos manus ſuas in ſanguine peccatoris. tum enim pulſa iniquitate, veróq; inducto animorum ſabattiſmo ſempiternam Dei Omnip. virtutem & gloriam magis elucere, cum inimica deſtruetur mors, & D. noſter IESVS CHRISTVS, Deo & patri regnum tradiderit. Etenim admirabilis rerum ordo, & conuenientia, qua magnus ille architectus, & muſicus cuncta temperauit, eò potiſsimùm ſpectat, vt animal illud ſagax, mentis, cōſilij, & cognitionis particeps homo, ex tanto rerum ſpectaculo, ad virtutem excitetur, & ipſius

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

magni conuiuatoris Dei, qui hanc illi cœnam inſtruxit, liberalitatem, & benignitatem agnoſcat, quod dictum eſt ab Iſaia: Omnem qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum. Sed quonam pacto ex Cypriani verbis hic ſenſus elici poſsit, dicere aggrediamur, ſi initiò admonuerimus, nos quæ ſcripturis ſanctis conueniunt, quæq; à ſanctis Patribus potiſſimum accepimus, in medium prolaturos: in obſcuris, quæ aſſequi non poſſumus, libenter audituros ſententias ſeniorum. Quid verò de tota hac cœna ſentiendum, quidue ſtatuendum ſit, Catholicæ & Apoſtolicę Eccleſiæ iudicio relinquimus. His enim noſtris cogitationibus tantùm virium & auctoritatis tribui cupimus: quantum ipſa Mater Eccleſia, cuius nos iudicio, auctoritati, poteſtati ſubiecti ſumus, tribuendum cenſuerit.

*

COENAE D. CYPRIANI DIFFICILIVM ET ARCANORVM SENſuum explicationes, Bartholomæi Valuerdij Villenatis Hiſpani, Theologi.

Quidam rex nomine Ioel, nuptias faciebat)

Id eſt, mundi creationem moliebatur. hæ enim ſunt nuptiæ, quas rex IOEL, Deus Opt. Max. celebrare volebat. quippe nomine IOEL, diuina voluntas intelligenda eſt. Cuncta apud Hebræos nomina (ait Euſebius) ad vnguem rebus accõmodata ſunt, vſq; ad ipſa prima literarum elementa. quorum quidem nomina, quid Græcè velint, nec ipſe Plato adinuenire vnquam poterit. cum Iudæorum etiam pueri, ſi fortè interrogentur, quid ἄλφα, quod ipſi Aleph dicunt, confeſtim diſciplinam reſponde-

Euſeb. libro 10. præpar: Euan: cap. 4.

ſpondebunt. βῆτα verò, quod ipſi Beth vocant, Domum, vt ſenſus ſit,
Domus diſciplinæ. Et Nazianzenus: Nos (ait) qui diligentiam ſpiri- Nazianz. Apologetico.
tus, ad minimum vſq, apicem, & poſtremam literam ſcrutamur, nunquã
concedemus (impium enim eſt) ne minutas quidem res, fruſtra eſſe ab il-
lis, qui ſcripſerunt, tam ſtudioſè literis traditas, & ad hoc vſq, tempus
memoria conſeruatas &c. Primùm igitur literas & nomina, in quibus
vt Plato ait, latent ſacramenta, examinemus. Eſt enim hæc cognitio,
viro Theologo digniſſima. Platonis verba ſunt: Ἐπείπερ συλλαβαῖς τε Plato, Cratylo.
καὶ γράμμασιν ἡ μίμησις τυγχάνει οὖσα τῆς οὐσίας, ὀρθότατόν ἐςὶ διελέσθαι
τὰ ςοιχεῖα πρῶτον. *id eſt: Quandoquidem in ſyllabis & literis, naturæ ac*
rerum eſſentiæ imitatio poſita eſt: optimum omnium eſt, diſcernere omni-
um elementa. Eſt igitur I A A L (vnde I O E L) velle. Nam Kim-
hi cum multos ex Geneſi, Exodo, Deuteron. Iudicib. Samuele locos, in Gen: Deut. &
Onomaſtico produxiſſet: Culam *(inquit)* haracon, ve hacheſec. *id eſt,* Exo: 18.
omnibus ijs locis I A A L, velle, optareq, ſignificat. quanquam, Inci- 1 Iudic: 19.
pere etiam rectéq, Hieronymus, I O E L ἀρχόμενον, *id eſt, incipientem* 1 Sam. 7. & 10.
interpretatur. Ait ergo, Regem I O E L, Incipientem (ſunt enim ab il- Oſeæ 1.
lo rerum omnium exordia) ſiue Volentem, id eſt, bonitate, & voluntate Hieron: præfat. Comm: in Abdi.
ductum, nuptias iſtas inſtituiſſe, id eſt, omnes naturas (vt Dionyſius ait) Areopagita de
in lucem protuliſſe. Et Cicero: Probitate ſcilicet præſtabat. probus au- cæleſt: Hierar:
tem inuidet nemini. itaq, omnia ſui ſimilia generauit. hæc nimirum gi- cap: 4.
gnendi mundi cauſa iuſtiſſima quæ totidem verbis, ex Platonicis illis ex Cicero Timæo.
preſſa ſunt: Ἀγαθὸς ἦν. ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς οὐδέποτε ἐγγίνεται φθόνος. Plato ibidem.

In regione Orientis) *Apparet de mundi ortu ſermonem inſtitui. Baſilius: Cur inter precandũ Orientem intuebatur prima Eccleſia? quia (inquit) vetus patria requiratur, nimirum paradiſus ille, quem plantauit Deus, in Eden ad Orientem.*

In Chana Galilææ) *Hanc enim mundi partem cæteris præſtantiorem*
ſatis illa indicant: Hanc terram Dominus Deus tuus aduertit, ſuntq, o- Deuteronom: 11.
culi Domini Dei tui iugiter ſuper eam. quæ cum terrarum medio ſita ſit,
iuxta illud Ezech: Habitantes ſuper vmbilico terræ, quod etiã Plutar- Ezech: 8.
chus Delphis tribuit, cum ὀμφαλὸν *mundi vocat, non eſt mirandum, ſi* Plutarch: de defect. oracul.
terræ creationis initium, inſtar cordis in animalibus, inde ſumptum cre-
dant Hebræi. ſimulq, his verbis ad locum Euangelicum alluſit, de nupti-
js in Chanah celebratis. quarum arcanum ſenſum, ſi quis requirit, audiat

Epiph: contra eos, qui non ſuſcipiunt Euang. Ioan: hæreſ. 51.

Epiphanium: Chana ſignificat Adeptam. quæ verò eſt adepta illa, quàm hæres? de qua Pſalmiſta in 5 Pſalmo dixit: De ea quæ hæreditatem conſequitur. Nuptiæ enim hæ reuera benedictæ ſunt, quæ à figura illa occaſionem acceperunt. Illic enim erant nuptiæ ſenſibiles, & aqua verè vinum facta eſt, & appellata iuxta duos modos, tum, vt aquoſitatem debachantium in mundo, in temperantiam, & caſtitatem nuptiarum adſtringeret: tum, vt triſtitiam corrigeret in hilaritatem vini, moleſtias diſcutientis, & gratiæ, quo omnibus modis obturaret ora eorum, qui aduerſus Dominum inſurgunt, &c.

Is inuitauit plures, vt cœnam eius confrequent.) *nempe creaturas, vt rebus ad communẽ vſum creatis fruerentur. Ideo enim vltimus in creatione homo, qui, vt Manilius ait,*

Et domuit terram ad fruges, animalia cæpit,
Impoſuitq́ viam ponto, ſtetit vnus in arce
Erectus capite, victórq́ ad ſydera mittit
Sydereos oculos, propiúſq́ aſpectat Olympum,
Inquiritq́ Iouem. *Ideo omnibus ante apparatis (aiunt Hebræi) ad cœnam ingreſſus eſt. Ita etiam Gregorius Nyſſenus: Egregius conuiuator, antequam cibi parati ſint, conuiuam domũ ſuam nõ deducit: ſed omnibus prius eleganter inſtructis, ædibus, cœnaculo, menſa ſplendidè exornatis, rebus denique ad victum neceſſarijs omnibus comparatis: tum deinde conuiuam excipit. ita opulentus ille ſumptuoſuſq́ conuiuiator noſter, domo prius varijs rebus eleganter ornata, epuloq́ magno inſtructo, quod omnis generis delicias haberet, tum demum hominem introducit, cuius eſſet opus, non ea quæ abeſſent, parare, ſed oblatis frui. Cæſarius frater Nazianzeni: Poſtremus poſt creationem à Deo productus eſt homo, non quòd velut vilis inter poſtrema abiectus ſit, ſed par erat, principem ante ſubditos prodire, neque antequam omnis generis refertum epulis conuiuiũ appararetur, introduci conuiuam. Lucianus Cœnam etiam hunc mundum à deo vocari ſcribit. Niceta D. Clementis frater, Ethnicorum errorum reprehendens: Cœnæ Deorum cauſa, (ait) hoc modo ſe habet. Conuiuium mundum tradunt. diſcumbendi ordinem, ſtellarum poſitionem, quos Heſiodus cœli & terræ primos filios nominat, in quibus ſex mares, & ſex fœminas, ad duodecim ſignorum numerum referunt, qui vniuerſum circumeunt mundum. Dapes autem conuiuij,*

Cæſarius dialogo 3. obſcurarum quæſt.

Lucia: Cynico.

Clem: libro 10. Recog:

rationes

rationes eſſe & cauſas rerum tradunt, dulces & concupiſcibiles, quæ qua-liter regatur & gubernetur hic mundus, ex ſignorum poſitione, & aſtrorum curſibus colliguntur. Euſebius: Pro paradiſo Dei, hortos Iouis appellauit Plato. Euſeb. libro 12. præp. Euan: cá: 6 *Venerémq; allegoricè propter pulchritudinem mundum. Cum (inquit) facta eſſet Venus, & alij Dij, & conſilij filius Porus in conuiuium conuenerunt &c. Mundum verò Venerem à pulchritudine dici, rectè Plato. conſentitq; Hieronymus his verbis: Sciendum eſt autem, quoniam* N I N I V E *in noſtra lingua de Hebræo,* Specioſam ſonat: Hierony: præfat. Comme: Nachũ. *Specioſus autem mundus hic dicitur. Vnde & apud Græcos* κόσμος *ab ornatu nomen accepit: quidquid nunc aduerſum Niniuen dicitur, de mundo prædicari. Hoc eſt igitur conuiuium & cœna, ad quam Rex* I O E L *plures inuitauit, multóq; iſta præſtantior, altera, de qua D. Petrus apud Clementem: Iuſſit nos Dominus* I E S V S *exire ad prædicandum, & inuitare vos ad cœnam regni cœleſtis, quam præparauit pater in nuptijs filij ſui. Quod & ea, quæ ſequuntur, oſtendant.* Clemens libro 4. Recog.

Igitur qui temporius loti in Iordane) *id eſt, quibus ex diuina benignitate conceſſum eſt, vt huiuſmodi cœna digni haberentur. Nam diuinam gratiam ac miſericordiã, Aquæ nomine ſignificari, ijs qui ſacras literas tractant, notiſſimum eſt. Huc enim illa referenda ſunt: Dereliquerunt me fontem aquæ viuæ: Fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Flumina fluent de ventre eius. Fluet aqua de ſitulis eius. Quod de Apoſtolorum prædicatione dictum eſt. Et ita Cyprianus: Hinc egredientia quatuor Euangelij flumina per vniuerſum orbem ſecum regenerationis euehunt lauacrum, & de abdito & ſecretiſſimo Spiritus ſancti munere, huius gratiæ liquor emanat. Eadem habet Nyſſenus. in qua Metaphora perſiſtens ait:* Cypria: Sermo: de ablut: pedum. Nyſſ: Comm: in Cantica.

Tum commundauit Naaman) *Animaduertendum, in perſonis quæ inducuntur, non genus, auctoritatem, aut dignitatem conſiderari, neq; vllam ex ſeipſa, aut peculiari ipſius qualitate, & dignitate cenſeri. ſed, quà eiuſmodi quippiam in ſacris literis tribuitur, quod ad cœnæ apparatũ, officium, aut miniſterium referri poſſit. hoc enim ad id, de quo agebat, ſatis ſibi putauit auctor. Itaq; quoniam & de Naaman Syro, in Regibus ſcriptum eſt, lotũ, & mundatum fuiſſe in Iordane: abſtergendi & mundandi miniſteriũ illi tribuit.* 4 Regum 5. *Cæterum ſi bene conijcio, arcanus ſubeſt ſenſus: Nam* NAAMAN *Hebræis, fidelem ſignificat. Chriſtus autem in* Naaman fidelis.

 Apoca-

Apocalypſi, hic eſt ipſe Naaman: Qui eſt (inquit) qui erat, & qui venturus eſt, teſtis in cœlo fidelis. Et quoniam Chriſtus mundauit Eccleſiã ſuam lauacro aquæ in verbo vitæ, quis non videt rectè dictum, Mundauit Naaman? ex Deo enim eſſe, vt quis, viam Dei eligat, & mundetur, docuit copioſiſſimè D. Ambroſius.

Ambr: lib 1. de vocat: gentium cap. 9. & libro 2, cap: 3.

Aquam ſparſit Amos) *Nemo corporalia craſſaq; ſenſa amplectatur. arcanis enim modis & myſterijs explicandas eſſe res ſacras, ex ijs conficitur, quæ antea diximus. quæ qui non intelligit, aut negat, Iudaicum animum & mentem præſefert. hîc enim non corporatas aquas, ſed myſticas accipio, quas Amos dicitur ſparſiſſe, ut myſterium vocationis gentiũ, Prophetis fuiſſe cognitum ſignificet. Si enim capiendos Iudæos, ducendos in exilium, liberandos, in patriam reducendos, iuſsi ſunt diuini Vates figuris ac typis quibuſdam prædicere: vt de ſumendo latere apud Ezechielẽ, diuidendis barbæ & capitis pilis, cubando in lateribus videre eſt. Item apud Eſaiam, de amictu ſacci, nudando corpore. apud Ieremiam, de iugo, & vinculis. apud Oſeam, de ducenda vxore adultera, & meretrice, atq; de alijs, quæ prætereo multis: quanto magis, conſentaneum eſt, in lege, & Prophetis, myſticè & figuratè, admirandum illud Chriſti opus, ac præcellentiſſimum, vocationis gentium, prænunciatum fuiſſe? Quid enim Gedeonis vellus? quid Eliſæi hydria? quid aqua quam ſparſit Amos, aliud putanda eſt? Nam & Naaman, de quo dixerat, in Galilæa, vbi nuptiæ hæ celebrari dicuntur, verbo Prophetæ ablutione ſeptenaria mundatus dicitur. Et in cantico Moſes: Stillet (vel fluat) vt ros eloquium meum, concreſcat vt pluuia doctrina mea. Bene ergò aquæ aſperſio ſiue ſtillatio, quæ verbis, & prophetarum doctrina contingit, & qua gentium vocatio ſignificabatur, prophetis meritò tribuitur. Sed cur ipſi Amos? nempe vnus aliquis nominandus erat. Cur autem hunc ex cæteris? occaſionem ſumit ex illis, quæ de Amos ipſo ſcripta ſunt: Nunc audi verbũ Domini, Tu dicis, nõ prophetabis ſuper Iſrael, & non ſtillabis. Iam ſtillatio, quid eſt aliud, quàm aquæ aſperſio?*

Ezech. 4. & 5.
Eſaiæ 20.
Ieremiæ 2.
Iudicum 6.
4 Regum 2. cap.
Deuteronom: 31.
Amos 7.

Iacobus & Andreas attulerunt fœnum, Matthæus & Petrus ſtrauerunt) *Videtur alluſum ad id, quod in Euangelio ſcriptum eſt: Facite eos diſcumbere. erat autem multum fœnum in loco. Veteres enim, non ſediſſe ad menſam, vt nunc ſolitum eſt, ſed accubuiſſe etiam ſcriptura teſtatur. Nam in libro Eſther, de conuiuij illius apparatu, haud procul ab ini-*

ab initio hæc ſunt. Lectuli quoq; aurei, & argentei ſuper pauimentum. quem morem etiam veteres Rom. Græciq; vſurparunt. Circũ menſam lecti duo, tres, pluréſue, vnde Triclinium, & Biclinium, quod cum eſſet in formã hemicycli à figura C literæ Græcæ, Sigma vocabatur. Martial:

Septem Sigma capit, ſex ſumus, adde Lupum. *Itaq; in lectis accumbebant, quod ait Horat. Languidus in lectum ſeſe conuiua reponit.* Mart: libro 10. *Seneca: Demens quid intereſt, quam lecti premas partem? Honeſtiorem te, aut turpiorem poteſt facere puluinum? Ideo attuliſſe fœnum, ſtrauiſſeq; dicuntur. ac fortè ad terrenum hoc ſtratum alluſit auctor, de quo dictum illud eſt: Extendit terram ſuper aquam. quod ſi ita eſt, rectè fœnum vocat, vt terrenarum rerum inconſtantiam fragilitatemq; ſignificet. Omnis enim caro fœnum, ait Eſaias. Et: Exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos. Quanquam enim terra fundamẽto firmiſſimo, nempe verbo Domini nitatur, (atq; ideo Plato, cum ſphærica ſit, Cubum tamẽ vocat) tamen Iob cum dicat: Appendit terram ſupra nihilum: rectè fœnum appellauit. Verè enim terræ columnæ, quas celebrat Dauid, diuinũ illud eſt verbum, atq; voluntas, quo omnia conſiſtunt, quod elegantiſſimè Nazianzenus explicauit: Quid eſt, quod terram ſuſtinet &c.*

Libro 1. de Ira. Pſalmo 135. Eſaia 40. Nazianz: Orati. 2 de theologia.

Menſam appoſuit Salomon) *aptiſſimè. nam cum ille honores, imperium, regnum inter ſuos, famam autem & gloriam, & præſtantem autoritatem inter alienos, illas videlicet nationes Orientis, eſſet nactus, cum agros præclarè cultos, & conſitos paraſſet, magnificè, & ſplendidè omnibus in locis ædificaſſet, maximum auri pondus, argentiq; congregaſſet, tũ autem cætera, quæ ad voluptatem corporis, & ad lætitiã animi apta atq; idonea eſſe exiſtimantur, haberet ſibi per omnes propemodum ædium, & villarum ſuarũ angulos, parata atq; diſpoſita: eius tamen menſæ ſplendorem, magnificentiam, & apparatum planè regium, Scriptura celebrat. Iuda (inquit) & Iſrael innumerabiles, ſicut arena maris in multitudine comedentes, & bibentes. Erat autem cibus Salomonis, per dies ſingulos triginta cori ſimilæ, ſexaginta farinæ, decem boues pingues, viginti boues paſcuales, & centum arietes, excepta venatione ceruorum, caprarum atq; bubulorum, & altilium. ſed hic ſermo eſt, de vero Salomone, Rege pacis, Deo omnipotẽti, qui nobis hanc inſtruit menſam. placetq; Hebræorum ſententia, qui nomine Salomonis, Pacem ſignificante, Deum intelligi docuerunt. Is enim verè, Pacem fecit in ſublimibus, ſiue eam, de qua Boethius:* 3 Regum 4.

Tu nu-

Boethius. *Tu numeris elementa ligas, vt frigora flammis,*
Arida conueniant liquidis, ne purior ignis
Euolet, aut merſas deducant pondera terras.

Siue, præſtantiorem illam, quam nobis vnigenitus Dei filius, verus pacificator confecit. Fecit enim vtranq; vnum, ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terris ſunt, quæ vera pax, exſuperans omnem ſenſum, vt ait Apoſtolus, cenſenda eſt.

Atque omnes diſcubuerunt turbæ. ſed cum iam locus recumbentium plenus eſſet, qui ſuperueniebant quiſq; prout poterat, locum ſibi inueniebat.) *Quòd omnes ait diſcubuiſſe, de ijs beneficijs, eaq; Dei prouidentia dictum puto, quam pater ille optimus, & clementiſsimus vniuerſis communiter impendit. Quod quiſq;, prout poterat, locum ſibi inueniebat: oſtendit, propriam vnicuiq; ſtationem diuinitus attributam, in qua illi ſit ſtrenuè laborandum. Vtrumq; Ambroſius his verbis complexus eſt. locum, & ſi longiuſculus eſt, integrum adſcribam. Siue nouiſsima contemplentur ſecula, ſeu prima, ſeu media, rationabiliter & piè creditur, omnes homines ſaluos fieri Deum velle, ſempérq; voluiſse. & hoc non aliunde monſtratur, quàm de ijs beneficijs, eaq; prouidentia Dei, quam vniuerſis generationibus communiter atq; indifferenter impendit. Fuerunt enim, ac ſunt huiuſmodi dona ita generalia, vt per ipſorum teſtimonia ad quærendum verum Deum poſsent homines adiuuari, quibus donis autorem ſuum per omnia ſecula proteſtantib. ſpecialis gratiæ largitas ſuperfuſa eſt. Quæ licet copioſius nunc quàm ante præſtetur, cauſas tamen diſtributionũ ſuarum Dominus apud ſcientiam ſuam tenuit, & intra ſecretum potentiſsimæ voluntatis occuluit, quæ ſi omnibus vniformiter affluerent, non laterent, &c.*

Ambro: libro 2. de vocat: gentiũ cap. 8.

Primus itaque omnium ſedit Adam in medio) *non ſummus, ſed medius locus erat honorificentiſsimus. ita enim Virgil. aulæis iam ſe regina ſuperbis Aurea compoſuit ſponda, mediamq; locauit. Primus itaq; omnium ſedit Adam in medio, credo, quòd, aſſidentibus cibos diſtributurus, & tanquam cor in medio animantis, quod cæteris membris vitam, motumq; præſtat, ſic ille vniuerſo hominum generi principium, paterq; futurus. Atq; ita Adam alter, cuius omnes ſpiritu ſuſtentamur, ac regimur, & à quo omnis vita, incrementum, propagatio, in medio diſcipulorum ſedere ſolitus, cunctiſq; cibos diſtribuere. In medio (inquit)*

vestrum

veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat. nam ex conſuetudine & porrigendi, & diſtribuendi cibi, agnitus eſt à diſcipulis. Sed non loquitur de accubitu, ad cœnam, ſed de præcellenti illo loco, in quo Adam poſitus eſt. Conditus enim Adam, non in hac, quam nunc habitamus terra, quæ extra paradiſum eſt, collocatus à Deo fuit: nondũ enim deliquerat, ac peccarat. Neq; rurſus poſitus, in illis præcellentibus locis, cœlo vel firmamento: nihil enim adhuc boni patrarat. Sed, quod conſentaneum erat, collocauit illum Deus in eo loco, qui inter vtroſq; illos, medio ſe habebat modo, hoc eſt, in paradiſo. Hic enim vt non tam purus, putuſq; eſt, quàm firmamentum: ita rurſus non tam craſſa coactaq; materie conſtat, atq; hæc noſtra, quæ extra paradiſum eſt, terra.

Eua ſuper folia) *cùm hoc propter ea, quæ ſcripta ſunt in Geneſi, dicatur: Conſuiſſe illos folia ficus, feciſſeq; ſibi perizomata, Cur non de Adam, ſed de Eua tantùm dicit, ſuper folia ſediſſe? Quod credibile ſit, Euam eiuſmodi perizoma, ſiue ſubligaculum priorem feciſſe, vtpote, quæ prior legem violauerat, Adamoq; nuditatis cauſa fuerat. tum etiam illius conſilio factum eſſe, vt iſta folia indueret, quia marito ſuo veſtem, olim ipſa contextura eſſet.* *Geneſis 3.*

Cain ſuper aratrum) *Legitur enim: Fuit autem Abel paſtor ouium, & Cain agricola.* *Geneſi 4.*

Abel ſuper mulgarium) *ex illo ſumptum eſt: Abel quoq; obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus. nam quod Mulgarium dicit, vas nempe in quod lac exprimitur, ex Ioſepho eſt. qui feciſſe Abel oblationem dicit. de primogenitis gregis, & lacte. quippe CHELEB, quæ vox in Geneſi poſita eſt, adipem & lac ſignificat.* *Ioſephus libro 1. antiquit. cap. 3.*

Noe ſuper arcam) *notus eſt locus: Facies tibi arcam &c.*

Iapheth ſuper lateres) *fortè ad Babilonicæ turris ædificationem retulit, de qua: Faciamus lateres. quo tempore ſuperſtitem fuiſſe Iapheth, autumant Hebræi, cum annis 131. poſt diluuium id contigiſſet, paterq; illius Noe tum temporis viueret.* *Geneſis 11.*

Abraham ſub arbore) *vt illius commendet hoſpitalitatem. Ipſe enim (ait ſcriptura) ſtabat iuxta Angelos ſub arbore. amplificat hunc locum vterq; Gregorius, Nyſſenus & Nazianz.* *Geneſis 18. Nazianzen. & Nyſſ. Orat. de pauperũ amore.*

Iſaac ſuper aram) *Commendatur illius obedientia, ex illo: Poſuit*

eum in altare. extat inſigne opus R. Symeonis de ſacrificio Iſaac, dignum Geneſis 22. *profectò quod Latinum legeremus.*

Loth iuxta oſtium) *Obſtabat enim, & opponebat ſe Sodomitis, quò Angelos tueretur, & oſtium ab obſtando Varroni dicitur. Locus eſt: Et* Geneſis 22. *egreſſus ad eos Loth ad oſtium.*

Geneſis 28. Iacob ſuper petram) *Tulit de lapidibus loci, & ſuppoſuit capiti ſuo.*

Moyſes ſuper lapidem) *Ex illo: Sumentes igitur lapidem poſue-* Exodi 17. *runt ſubter eum. Rurſus: Ecce (ait ad eum Dominus) locus eſt apud me, & ſtabis ſupra petram. cumq́ꝫ tranſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ. quorum verborum arcanum ſenſum Græcus Nazianzeni* Elias Creten: Naziānz. ſcholi. *ſcholiaſtes hunc affert, qui mihi pulcherrimus viſus eſt. Latinè dicam: Loci appellatione diuina benignitas venit, per quam Deus cæteroqui natura ſua incomprehenſilis, ab omnibus quantum fieri fas eſt, comprehenditur. factus eſt autem comprehenſilis, cum Dei filius, qui & ſaxum, humanam carnem aſſumpſit. Facies ſubſtantiam deitatemq́ꝫ mundo priorem ſignificat. partes poſteriores creationem, & prouidentiam. In foramine autem hominem Deus collocat, quia hic Deum aliqua tantùm ex parte cognoſcit.*

4 Regum 1 cap. Elias ſuper pellem) *Ita in Regibus: Erat vir piloſus, & zona pellicea accinctus renibus.*

Danielis 5. Daniel ſuper tribunal) *Tertius enim in regno poteſtatem habebat, vt in eius hiſtoria legimus. Sed arbitror ad illud referendum, quod* Danielis 13. *in Suſannæ iudicio à ſenibus dictum eſt: Veni, & ſede in medio noſtrū, vt eſt in illius libri appendice.*

Thobias ſuper lectum) *Nam ex nido (ait) hirundinum, dormi-* Tob 2. *enti illi, calida ſtercora, inciderunt ſuper oculos, & cæcus factus eſt. Rur-* Tob 3. *ſus: Expedit mihi mori, magis quàm viuere. Conſentaneum ergo eſt, fuiſſe clinicum, id eſt, lecto decubuiſſe.*

Ioſeph ſuper modium) *Prouidentia Dei ego præmiſſus ſum (dice-* Geneſis 45. *bat ad fratres) vt ſeruarem vos. quoniam verò per ipſum vendebatur frumentum in Ægypto, Modium illi tribuit.*

Beniamin ſuper ſaccum) *Veriſimile eſt, ipſum in patris mœrore,* Geneſis 37. *& luctu, ob ereptum ſibi Ioſeph, ſe ſacco induiſſe. Opinor tamen dici, propter illa*

illa, quæ in Iudicum hiſtoria legimus: Factum eſt, vt omnes qui ceciderant de Beniamin in diuerſis locis, eſſent viginti quinq; millia, pugnatores ad bella promptiſſimi. Item: Cunctasq; vrbes, & viculos Beniamin vorax flamma conſumpſit. tribuit ergò Beniamin ſaccum, ad doloris magnitudinem exprimendam. Iudicum 20.

Dauid ſuper monticulum) *Num montem Ziph? de quo: Manſitq; in monte ſolitudinis Ziph. quem & Vmbram mortis vocat, quòd parum abfuerit, quin ibi opprimeretur. Sed de Sion magis placet, propter illa quæ in Regibus dicuntur: Habitauit autem Dauid in arce Sion, & vocauit eam ciuitatem Dauid.* 1 Regum 23. 2 Regum 5.

Ionas ſuper terram) *Dixit Dominus piſci, & euomuit Ionam in aridam.* Ionæ 2.

Pharao in arena) *Iuſta factis merces, vt qui in arena, & lateritio opere confecerat Iſraelitas, in arena periret. Itaq; in Exodo: Deniq; filij Iſrael viderunt ipſos mortuos ſuper littus maris.*

Rebecca ſuper hydriam) *Hydriam habuiſſe dicitur in ſcapula ſua.* Geneſis 21.

Raab ſuper ſtuppam) *propterea quod operuit exploratores ſtipula lini. quanquam ſunt codices manuſcripti, qui habent:* Ruth ſuper ſtipulam, *& quadrat. Spicas enim colligebat, poſt terga metentium.*

Abſalom in frondibus) *Cum ingreſſus fuiſſet mulus ſubter condenſam quercum & magnam, adhæſit caput eius quercui, & illo ſuſpenſo inter cœlum & terram, mulus cui inſederat pertranſiuit.* 2 Regum 18.

Iudas ſuper loculum) *Illius auaritia, &* φιλαργυρία *taxatur. Is enim in Apoſtolum receptus, loculos habebat, & ea quæ mittebantur, portabat, vt inquit in Euangelio Ioannes. nec malè, quòd portabat: ſed quòd intus miſſa, in ſuos vſus exportabat.*

Petrus ſuper cathedram) *Aliorum princeps & doctor. Illi enim principatus, & poteſtas à Deo commiſſa eſt. Sunt ergo à Deo principatus, & poteſtates. de ipſis poteſtatibus non de principibus loquor. Omnis enim ſancta &, commoda poteſtas eſt, non omnis princeps commodus. Nã multi quidẽ ad principatum per ſcelus, nefaſq; perueniunt, & in eo, quod malè ſunt adepti, flagitioſius etiam verſantur. Quid ergo? Num malo principi ſubiecti eſſe debemus? Debemus nimirum, vt feramus patienter illius inſolentiam, non autem, vt alacriter parere illĩ debeamus. Etſi enim princeps improbus eſt: tamen ſancta eſt poteſtas. Ex quo quis nouos*

 hoſce

hoſce hæreticos non coarguendos eſſe intelligat, qui cum cæteras quidem humanas poteſtates, tum verò illam, quæ præcipuè ex Deo eſt, pontificatus ſummi authoritatem, infringere ſunt conati? Si enim poteſtas omnis à Deo eſt, cur non iſta ſit, quæ ab illo nominatim Petro fuit commiſſa?

Auctoritas Rom: Pontificis.

Aut igitur negent Petro quidquam peculiariter à Deo fuiſſe commendatum, & traditum: aut ſi inficiari hoc non poſſunt, Pontificatum ſummum fateantur poteſtatem eſſe inſtitutam à Deo. At enim ſi quid Deus Petro commiſit, ipſi vni commiſit: ſucceſſionē autem eiuſmodi commiſſionis ad poſteros nullam voluit dimanare. Quæ ergo iſta eſt poteſtas, quæ in vno homine, & cœpta, & terminata eſt? aut quam huiuſcemodi poteſtatem, hominum cognoſcit vita? Saulem regem primum poſt iudices in Iſrael creauit Deus, neq; mentionem ſucceſſionis fecit. nunquid vnus homo rex duntaxat nominatus eſt? an regnum genti illi conſtitutum & factum, in quo qui ſucceſſerunt, eandē quam Saul, poteſtatem omnes ſunt adepti? Quod ſi quis regno malè, aut pontificatu vſus ſit, omnino Chriſtianæ fuit pietatis pati, atq; perferre, aliorumq; malitiam, vt ſuæ virtutis exercitationem accipere. Sed tamen ſi reclamandū fuit, & reſiſtendum, homines erant notandi, non ipſæ labefactandæ, euertendæq; poteſtates. Petrus ergò (vt ad inſtitutum redeamus) ſuper cathedram. quod etiam Petri fidei firmitatem, ſtabilitatemq; ſignificat. doctrinam etiam, & docendi auctoritatem. itaq; ſæpe in Actis: Surrexit Petrus &c.

Iudicum 16. Samſon ſuper columnam) Dimitte me (inquit puero) vt tangam columnas, quibus omnis imminet domus, & recliner ſuper eas, & paululum requieſcam.

1 Regum 4. Heli ſuper ſellam) ex Regum hiſtoria.

Geneſis 31. Rachel ſuper ſarcinam) ex Geneſi: Cum intraſſet Laban, feſtinans abſcondit idola ſuper ſtramenta cameli, & ſedit deſuper.

Partiens ſtabat Paulus) Quod in Geneſi de templo Hieroſolymitano dictum eſt, Beniamin lupus rapax, mane comedet prædam, & veſpere diuidet ſpolia, ita enim quidam interpretantur, ob ſacrificia illa matutina & veſpertina, quæ tot animalia & victimas abſumebant, vnde & ciuitatem Ariel ob altare, dici putat Hieronymus. (Ariel enim Leonem Dei ſonat) illud inquam, Latini & Græci de Paulo interpretantur, quēadmodum & illa: Ibi Beniamin adoleſcentulus in mentis exceſſu. vnde Partiens ait, propter illud: Diuidet ſpolia.

D. Hieron: Ezechi. 43. & Eſaiæ 29.

Murmu-

Murmurabat Eſau) *Conqueſtus enim de fratre, ob benedictionē: Irrugijt clamore magno. & , Cumq; eiulatu magno fleret.* *Geneſis 27.*

Dolebat Iacob) *ſtatim: Motus Iſaac dixit ad eum: In pinguedine terræ &c. vel quod aduerſus Laban ſe perſequentem ait: Quam ob culpam meam, & peccatum meum, ſic perſecutus es poſt me?* *Geneſis 31.*

Iob ſolus ſedebat in ſtercore) *Notum eſt. Erat ſedens in ſterquilinio. & ſi Hebræa vox, neq; ſtercus, neq; ſterquilinium, ſed cinerem ſignificare videtur.*

Tunc porrexit Rebecca pallium. Iudith coopertorium. Agar ſtragulum) *Etiam referendum ad veterem, de qua diximus, accūbendi conſuetudinem. quam ob rem pallijs, ſtragulis, perizomatis, & coopertorijs vti ſolebant. Perſtat ergo in inſtituto, et nulla perſonarum habita ratione, ea illis tribuit, quæ aliquo pacto in ſacris literis, eiſdem tribui videntur. Nam quoniam in Geneſi legerat: Rebecca tollens cito pallium ſuum, operuit ſe. & , Iudith abſtuliſſe conopæum Holofernis à columnis: quod hic ſimpliciter dictum eſt, quaſi ad officia illarum tranſtulit. Sed qua ratione Agar ſtragulum porrexiſſe dicemus? Torſit me hic locus. & niſi poſteriora quædam perpendas haud facilè expedies. Dicitur ergo paulò pòſt: Inuoluerat enim ſtragulum multicolorium Agar. Rurſus paulò ante finem: Poſtquam probatū eſt regi, quòd Agar filius Charmi, reus eſſet furti &c. Ex quibus efficitur, de Achan filio Charmi ſermonem fieri, qui ita ad Ioſue: Vidi inter ſpolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos ſiclos argenti, regulamq; auream quinquaginta ſiclorum, & concupiſcens abſtuli, & abſcondi ea. Hic verò in Paralipomenis Achar etiam appellatur, his verbis: Filij Charmi, Achar, qui turbauit Iſrael, & peccauit in furto anathematis. atq; ita in conſtitutionibus Apoſtol. Achar legimus, vt in Paralip. quanquam in Commentario Balſamonis, Achaz corruptè poſitum eſt.* *Geneſis 24.* *Geneſis 13.* *Ioſue 7.* *1 Paralipom. 2.* *Clem: conſt: Apoſt. lib. 7. ca. 10*

Sem & Iaphet cooperuerunt recumbentes) *Quoniam ita eſt in Geneſi: Sem & Iaphet pallium impoſuerunt humeris ſuis, & incedentes retrorſum, operuerunt verenda patris ſui. ideo operuiſſe illos dicit. quin & tentoria, ac velamenta ſupra accūbentes extendebātur, vt legimus in Aſſueri conuiuio: Et pendebant ex omni parte tentoria. In quo, niſi fallor, ad cœlorum extenſionem, & expanſionem alluſum eſt, de qua apud Eſaiam: Qui extendit velut ſubtiliſſimum uelum cœlos, & expandit eos* *Geneſis 9.* *Eſther 1.* *Eſaiæ 40.*

 ſicut

ſicut tabernaculum ad inhabitandum. *At de Patriarchis illis dictũ eſt:* Dilatet Deus Iapheth, & habitet in tabernaculis Sem. Quòd ſi optimus coniector ſum, neq; me fallit, meum de hoc auctore iudiciũ, ingenioſè admodum hoc excogitauit. vt cum ſuperius ad terræ diſpoſitionem ſignificandam, vbi homines ſumptuoſam hanc cœnam celebrare poßent, fœni ſtratum nominaſſet, ad illud Geneſis reſpiciens: Congregentur aquæ, quæ ſub cœlis ſunt in locum vnum, & appareat arida, & vocauit Deus aridam terram. & de impijs etiam Dauid: Fiant ſicut fœnum tectorum, quod priusquam conuellatur, exaruit: ita nunc ad cœlos inferendos operimentum induxit: de eiſdem enim dicitur: Fiat extenſum (tantum valet Hebræum HA RAQVIAH) in medio aquarum. vocauitq; Deus, extenſum illud, cœlum. Quin etiam ipſorum patriarcharum nomina, de quibus dicitur: Dilatet Deus Iapheth, & habitet in tabernaculis Sem: alterum à pulchritudine & venuſtate, alterum ab eodem nomine quo cœli Hebræis appellantur, nempe SAMAIM, ductum eſt, vt venuſtißima ſit inter Sem & Samaim alliteratio.

IAFEH pulchrum, SAMAIM cœli.

Cicero 5 Tuſcul.

Inlatus eſt guſtus cœnæ) *Guſtum, ſiue Guſtationem, Cœnæ caput, & Antecœnam antiqui dixerunt. Cic. Negauit ſe iure illo nigro, quod cœnæ caput erat, delectatum. Guſtum vocat Martial:*

Guſtus.

Prima tibi dabitur ventri lactuca mouendo,
Vtilis, & porris fila reſecta ſuis.
Et quæ Picenum ſenſerunt frigus oliuæ:
Hæc ſatis in Guſtu. cætera noſſe cupis?
Mentiar, vt venias, piſces, conchylia, ſumen.

Geneſis 1.

Guſtum ergo, ſiue Antecœnam illam vocat: Dixitq; Deus, Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam. Nam creationis ordinem, & conuenientiam imitatur, in qua, herbarum fructuumq; productio, aliarum rerum ortum, & generationem præcedit.

Iona 4.

Accepit cucurbitas Ionas) *ex illo: Præparauit Dominus Deus cucurbitam, & aſcendit ſuper caput Ionæ.*

Theophraſtus.

Olus Eſaias) *Satiuas herbas, quarum folijs, & caule vtimur, Olera dici, ſcribit Theophr. ijs verò prophetas vſos, qui parcè, & continenter viuerent, nemo ignorat. Sed cur Iſaiæ tribuit? Credo, quòd cum*

eſſet

eſſet de ſtirpe regia, nempe Amaſiæ regis nepos ex fratre, neque regis men ſa, neq; delicatiori aliquo cibo vteretur, maximè in eo laudem merebatur. quam etiam à Domino retulit: Et dixit Dominus: ſicut ambulauit ſeruus meus Iſaias, nudus, & diſcalceatus &c. *Eſaiæ 20.*

Betas Iſrael) *Betæ inſipidæ ſunt, vt eſt apud Poëtam:*

Vt ſapiant fatuæ Fabiorum prandia Betæ,
O quam ſæpe petet vina, piperq; coquus

Betas ergo Iſrael, verè enim infatuatus eſt (vt ſcripturæ verbo vtar) populus ille. Nam de nomine quid attinet Columellam producere?

Nomine tum Graio, ceu littera proxima primæ,
Pangitur in cera, docti mucrone magiſtri:
Sic & humo pingui ferratæ cuſpidis ictu
Deprimitur folio viridis, pede candida Beta.

Illud magis ad rem, quod ſcribit Plinius. Beta hortenſiorum leuiſſima eſt. Eius quoque à colore duo genera Græci faciunt, nigrum, & candidũ. *Plini. libro 19. cap. 8.* *Nam Hebræam gentem fuiſſe leuiſſimam legimus, & pro morum vitæq; mutatione, amabilem Deo, vel execrabilem fuiſſe. Porro ſcelera, atque peccata, & quæ ea conſequitur aduerſam fortunã, Nigredinẽ vocat ſcriptura. Inculpatam vitam, & quæ ſecunda ac proſpera à Deo contingunt, Albedinem. Multos poſſem replicare locos. Sed unus ille Canticorum ſufficerit: Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Hieruſ. Rurſus: Nolite me conſiderare, quod fuſca ſim. quæ Chaldæi, Latini, Græci, Hebræi de peccatis exponunt. de albedine vero, id eſt, vitæ puritate, & innocentia Iſaias: Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur. vt vtramq; Betæ ſpeciem videatur auctor reſpicere, cum Betas Iſraelitis tribuit.* *Cantic. 1.* *Albedo & nigredo in ſacris literis.* *Eſaiæ 1.*

Morum Ezechiel) *Niſi hoc propterea dicat, quòd omnium prophetarum, qui ante primi templi vaſtationem floruerunt, poſtremus fuerit Ezechiel. Morus autem (ait Plin.) omnium arborum poſtrema floret. alind nunc diuinare non poſſum. De Zachæi ſycomoro, notũ ex Euãgelio.* *Plini. libro 15. cap. 24.*

Citrium Adam) *ex Hebræorum ſententia dictum eſt, Citrium fuiſſe fructum, quem Adam guſtauit. è quorum genere ſunt, quæ nunc Arancia dicimus.*

Lupinos Daniel) *Impetrauit à Malaſſar, vt ipſe cum ſocijs leguminibus veſceretur: Tenta (inquit) nos obſecro ſeruos tuos diebus decẽ,* *Daniel. 1.*

& dentur

& dentur nobis legumina ad veſcendum, & aqua ad bibendum, & contemplare vultus noſtros. Incredibilis (ait Hierony.) fidei magnitudo, non ſolùm ſibi corpulentiam polliceri eſu vilioris cibi, ſed & tempus ſtatuere &c. Cur autem ex vniuerſo leguminum genere lupinos nominarit, reperiſſe me puto. Nam Galenus non mali, ſed craſſi ſucci lupinos eſſe dicit, ac proinde egregiè nutrire. Plin. Maceratos aqua calida homini quoq; in cibo eſſe. Nam bouem (inquit) vnum modij ſinguli ſatiant, validumq́; præſtant. Rurſus: Pingueſcere hoc ſatu arua, vineaſq́; diximus. Itaq; adeò non eget fimo, vt optimi vicem præſtet. Itaq; ſcriptura dicit: Corpulentiores illos cæteris pueris, qui cibo regio veſcerentur, euaſiſſe. Lampridius: Deformato vultu genera leguminum coctorum ad cõuiuium, propter luxuriæ continuationem, reuocauit.

Hieron. Comm. Dani.

Galen. libro de aliment. facult. & de cibis boni vel mali ſucci, Plinius libro 18. cap. 14.

Lamprid. Commod.

Numeri 11.

Pepones Pharao) *quibus abundat Ægyptus: Recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto. in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones.*

Geneſis 4.

Carduos Cain) *Cum operatus fueris terram, non dabit tibi fructus. Ergo vice fructus carduos germinatura erat. & ita: Spinas & tribulos germinabit tibi.*

Geneſis 30.

Plinius libro 25 capite 13. Dioſcor. libro 7 capite 78. D. Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum.

Malum Rachel) *ob Mandragoras quas à ſorore accepit. Nam hæ, vt ſcribit Plinus: Mala nucum auellanarum magnitudine producunt, quorum grauis odor exiſtit. Idem affirmat Dioſcorid. de quibus ait R. Moſes Gerunden. accepiſſe Rachel, vt ſe odoris iucunditate recrearet. Cum hæc mala vidiſſem (ait Auguſtinus) & propter locum ſacræ lectionis, id mihi contigiſſe gratularer, rara enim res eſt, naturam eorum quantum potui ſum ſcrutatus ex viſu, olfactu, & guſtu. proinde rem comperi pulchram, ſuaueolentem, ſapore autem inſipido, & ideo cur eas mulier tantopere concupierit, ignorare me fateor.*

Danielis 13.

Coniectura.

Prunum Ananias) *Cauſam ignorare me fateor, neq; mihi ſatis mea facit coniectura. Ea eſt huiuſmodi. Daniel laſciuos illos ſenes coarguens ait: Nunc ergo dic, ſub qua arbore comprehenderis eos loquentes ſibi? qui ait: ſub Prino. Dixit autem ei Daniel: Rectè mentitus es & tu in caput tuum. manet enim Angelus Domini gladium habens, vt ſecet te. Itaq; luſit paronomaſia, & ex Prini nomine ſecandum illum interminatus eſt (eſt enim πρίνω Græcis diuido.) Ita nunc auctor non ſignificationis (quid enim Ilici cum Pruno?) ſed vocis ſimilitudine luſit ex Prino*

Danielis

Danielis, quod Ilicem ſignificat, Prunum fortaßè faciens, & quod ex
Prini, ad πρίνω *verbum, alluſione Daniel, idem hic nunc ex Pruno colle-*
gerit. vt quoniam ſenex, qui ſub Prino eos vidiſſe dixerat, ſubitò perem-
ptus ſit: ita Ananias, quòd de precio agri fraudans Spiritũ S. repentina *Actorum 4.*
etiam morte, quaſi ab Angelo caſus expirarit, dicatur etiam Prunũ ac-
cepiſſe.

Bulbos Lia) *Videtur enim viri concubitum appetiuiſſe: Ad me* *Geneſis.*
(inquit) intrabis, quia mercede conduxi te, pro mandragoris filij mei, dor
miuitq́ cum ea nocte illa. At de bulbis hæc Martialis:

Cùm ſit anus coniunx, cùm ſint tibi mortua membra:
Nil aliud bulbis quàm ſatur eſſe potes.

Rurſus Columella:

Iam Megaris veniant genitalia ſemina bulbi.

Venerem enim excitant, maximè Megarici, ait Plinius. Quanquam ma *Plinius libro 20.*
gis placet, ob lippitudinem dictum. fuit enim Lia lippis oculis, cui morbo *cap. 9.*
mederi bulbos, audi Plinium: Theodorus lichenas ex aceto bulbis cu- *Ibidem.*
rat, & erumpentia in capite cum vino auſtero, aut ouo. Et bulbos epi- *fortaße nouo.*
phoris, idem illinit, & ſic lippitudini medetur.

Oleas Noe) *vel,* Vuas Noe, *vt alia exemplaria habent. Vtrunq́*
locum habet. Primum ob oliuæ ramum, quem columba portarit, cuius & *Lucian. Philopa-*
Lucianus abundè meminit. Secudum, ob vitem ab ipſo primum conſitã. *tre.*

Ouum Ioſeph) *Vt in ouo futuræ ſobolis ſeminarium exiſtit: ita*
Ioſeph illius populi, ex Iacob originem ducentis, princeps cenſendus. nã
pro illius matre, eò potiſſimum, vt ſeruiret Iacob, adductus eſt, quò libe- *Geneſis 29.*
ros ex ea ſuſciperet. vnde gens illa, vt ex ouo pulli, à Ioſeph potißimùm
propagata eſt. Itaq́ de eo dictum: Filius accreſcens Ioſeph &c. *Geneſis 49.*

Vuas Aaron) *alia exemplaria,* Oliuas Aaron, *neq́ abſurdè. V-*
niuerſus ille populus vitis gerebat imaginem. Ita enim ex Hebræo le-
gimus: Vitem de Ægypto tranſtuliſti. &: Vinea Domini Dei Sabaoth, *Pſalmo 79.*
domus Iſrael eſt. non ergo abſurdè Aaron ſacerdos magnus, vt matu-
rus totius populi fructus, maturo etiam vitis fructui, id eſt, vuis, compa-
ratur. Nam quemadmodum vuæ vinũ, ita labia ſacerdotis cuſtodiunt
ſcientiam. quippe vinum diuinæ legis, ac ſapientiæ ſymbolum cenſent *Vinum ſapientiæ ſymbolum.*
Hebræi. & quà dicitur: Meliora ſunt vbera tua vino. Vinum legem *Locus Canticorũ*
veterem myſticè accipimus. Vbera, Chriſti Apoſtolos, & Euangeliſtas. *explicatus.*

ab his enim in fide nutrimur, & ſpirituali alimento reficimur. Idcircò autem meliora vino probantur, quia Euangelica doctrina multò eminentior, quàm lex olim data, cenſenda eſt. Iam quod eſt in alijs : Oliuas Aaron, *qui Hebraicam linguam nouerunt, facilè expedient. Hebræi enim Triticũ, filiũ areæ: Sagittam, filiam pharetræ: ſcintillas, filios carbonum, Reges deniq; & ſacerdotes, ob vnctionem Filios olei, appellare conſueuerunt. Ideò itaq; oliuas Aaroni tribuit.*

Hebraicæ linguæ proprietas. Filij olei.

Geneſis 43. Nucleos Symeon) *Sumite (ait Iacob ad filios) de optimis terræ frugibus, in vaſis veſtris, & deferte viro munera, modicum reſinæ & mellis, ſtoracem & amygdalas. LXX. pro amygdalis, nuces, id eſt, κάρυα poſuerunt, pineas fortaſſe, vel nucis pineæ nucleos intelligentes. Eſt enim Nux generale nomen eorum, quæ duro operimento teguntur. Et quanquam abeſſet Symeon (erat enim in vinculis) cum pater de muneribus mandabat: quid tamen eſt incommodi, ad cuius liberationem omnia ſpectare viderentur, ei tanquã præſenti, aliquid de muneribus tribui?*

Dedit acetum Ionas) *Menſæ caput, id eſt, Olera, aceto condiuntur. neq; enim cibos, & ſapores, alius magis ſuccus commendat, aut excitat. Cur verò Ionæ, id ex Plinio colligo. In totum domitrix (ait) vis hæc (aceti) non ciborum modo eſt, verum & rerum plurimarum. Saxa rumpit infuſum, quæ non ruperit ignis antecedens. Ita fit, vt infuſum terræ ſpumet, quaſi iras colligat. quod vltimum reſpexit auctor, propter illa credo : Putáſne bene iraſceris tu ſuper hæderam? & dixit: Benè iraſcor uſq; ad mortem. Quod ſi arcanum ſenſum quis requirat: dici etiam poteſt, Ionam Hebræis Columbam ſignificare, quo nomine Dei, erga hominum genus incredibilis amor, & beneuolentia venit appellanda. Nam Salomon Iſraeliticum populum columbam appellauit. ac quemadmodum maribus, cùm coniugij fidem violatam ſuſpicantur (vtor Plinij verbis) tunc plenum querela guttur, ſæuiq; roſtro ictus, mox in ſatisfactione exoſculatio: ita Deus Zelotes populum illum (vt Prophetæ aiunt) fornicantẽ, cum amatoribus multis, id eſt, idolis ſeruientem, ſæpe caſtigabat, eundem verò pœnis illis expurgatum, & expiatum paternè cõplectebatur.*

Plinius libro 23. capite 1. Aceti vis. Ionæ 4. Arcanus ſenſus. Canticis. Plinius libro 10. cap. 34.

Accepit oxygarum IESVS CHRISTVS) *Locus Euangelicus : Illi autem ſpongiam aceto plenam hyſſopo circumdederunt, & obtulerunt ori eius. quod videns Dauid, ait : In ſiti mea potauerunt me*

runt me aceto. Oxygaro autem vſos in Antecœna, oſtendit Martialis:

Depoſui ſoleas, adfertur protinus ingens

Inter lactucas, oxygarumq́, Liber.

Sederunt foris) *Quoniam illud Abrahæ in valle, hoc Moſi in deſerto contigit. hoc dico. Cum Abraham domeſticos ſuos armauit, & cum Regibus illis pugnauit, in ualle id accidiſſe, narrat Scriptura, protuliſſeq́ Melchiſedech panem & vinum. Moſi verò cum cætera turba menſam in deſerto ſæpè parauit Deus, quod in Pſalmis eſt: Nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto? ad vallem ergo & deſertum, illud Foris, referendum.* Geneſis 14. Exo: 16. Pſalmo 77.

Cœnatorias veſtes) *& Romani priuſquā accūberent, togas mutabant veſtibus, quas à re Cœnatorias dixerunt. Eiuſmodi autem veſtes accipere, nil aliud eſt, quam vel virtutibus quemq́ exornare ſeſe, uel vitia, & animi labes facinoraq́ ſuſcipere. non enim pro naturæ conſtitutione, ſed pro animi affectionibus, & hac cœna fruendum, & præmia uel ſupplicia expectanda. Iam Veſtis nomine, animi affectiones, & habitus quos vocant, accipiunt Hebræi. nam diuinis etiam proprietatibus exprimendis, Amictus nomen vſurpat Scriptura. Itaq́ gloriam, & decorem indutum, & Amictū lumine ſicut veſtimento, Præcinctum etiam fortitudine Dominum legimus. Quin etiam D. Petrus: Iuſsit nos (inquit) Dominus exire ad prædicandum, & inuitare vos ad cœnam regni cœleſtis, quam præparauit pater in nuptijs filij ſui, & vt, demus vobis indumenta nuptialia, quod eſt gratia baptiſmi, quam qui fuerit conſecutus, tanquam veſtimentum mundum &c. Eadem habet ferè Baſilius.* Cœnatoriæ. Virtutes, indumēta. Clemens libro 3. Recognit. Baſilius. Eſaiæ 9.

Zacharias albam) *Sacerdoti congruentem. nam de filio Ioiadæ, de quo in Paralipom. accipio. Interim emendandus Epiphan. apud quē pro Ioiada, Iorda ſcriptum eſt.* 2 Paralipom. 24 Epipha. emendatus in vita Zachariæ.

Abraham paſſerinam) *à paſſeribus Paſſerinam dicit. in quo magni illius viri pietatem, & diuini cultus procurationem reſpexit. nam de ſacrificio illo loquitur: Sume mihi vaccā triennem, & capram trinam, & arietem annorum trium, turturem quoq́ & columbam. qui tollens vniuerſa hæc, diuiſit ea per medium, aues autem non diuiſit. deſcenderuntq́ volucres ſuper cadauera. Itaq́ ob aues illas, paſſerinam veſtem dixit, ut in Lazaro lineam, ad Syndonem, quo in ſepulchro inuolutus eſt, reſpiciens: in Iona, cæruleam, quòd ſit in mare proiectus.* Geneſis 15.

 Tecla

Epiphan. hæreſi 78. & 79.

Tecla flammeam) *Tecla (ait Epiphan.) incidit in Paulum Sanctum, & à nuptijs exſoluitur, cùm curatorem ſiue ſponſum haberet formoſiſſimum primarium vrbis, valde diuitem, generoſiſſimumq; ac illuſtriſſimum in vita. Et contemnit terrena ſancta illa, ut cœleſtium potens fiat. Sed quòd flammeam veſtem ait, ex Adone Treuerenſi eſt: Rapta igitur ab apparitoribus, vt in focum iactaretur, ſponte pyram aſcendit, & ſigno crucis facto, virili animo inter medias flammas ſtetit.*

Adon. Treueren. apud Surium. Meminit & Teclæ Ambroſius & Nazianz.

Raab coccineam) *propter funiculum coccineum hoc dicit, quem exploratorum iuſſu, poſuit in feneſtra.*

Ambro. Epiſt. 7 ad Simplic. li. 2. Ioſue 2.

Erodias cardinam) *fortè Nardinam. veriſimile enim eſt ob luxum, & illecebras, nardo, & alijs vnguentis fuiſſe vſam. qui mos eſt meretricum, vt ſcribit Lucret:*

Lucretius lib. 4 de Natu. rerum.

Vnguenta & pulchra in pedibus ſicyonia rident.
Scilicet & grandes viridi cũ cum luce ſmaragdi
Auro includuntur. teriturq; Thalaſſina veſtis.
Pocula, crebra, vnguenta, coronæ, ſerta parantur,

Quod ſi Cardinam legas, ob ſtimulos amatorios, qui veneris vſu, & conſuetudine excitantur, dictum puto. hi enim carduis, & ſpinis meritò comparantur. eos enim Quos retinere velint, adſtrictosq; eſſe in amore. nouis ſemper ſtimulis, mulieres, quaſi telis quibuſdam, pungunt, & vulnerant. Neq; abhorret Scriptura, quæ in rebus amatorijs pungi, vulnerari, percuti dicere conſueuit. Nam de ſenibus in Daniele ita ſcriptum eſt: Erant ergo ambo vulnerati amore eius. de Holoferne Iudith: Capiatur laqueo oculorum in me, & percuties eum ex labijs charitatis meæ. Hæc cum cogitarem, vehementer lætatus ſum, coniecturam meam in Baſilio reperiſſe. Eius verba ſunt: Audiui quendam tale quid de ſpinarum roſis ludentem fortaſſis, aut etiam ſeriò dicentem, quòd natura tenues illas ſpinas velut amatorios quoſdam ſtimulos, eius amatoribus in flore produxit, ad maius nempe deſiderium, per innoxios aculeos decerpentes inuitans.

Lucretius. Danielis 13. D. Baſilius Epiſt. 149.

Pharao marinam) *quòd ſit in mari ſubmerſus.*

Enoch cœlinam) *Ambulauit Enoch cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus. ergo quoniam in cœlum raptus, cœlinã noue dixit.*

Agar variam) *Conſtat ex ſuperioribus. nam Achan, ſiue Achar filius Charmi hic eſt, qui ſtragulum illud multicolorium inuoluerat.*

Dauid proneruicam) *in alijs Proneuricam, quaſi ceruinis pellib. indutum*

indutum dicat. Eſt enim νέβρις *pellis ceruina: nam paſtorales ſæpè ex tygrium, pardorum, lyncum exuuijs ſunt, in quibus pulchra macularum varietas. Is verò paſtor fuiſſe legitur. qui in Saulem fugiens: Poſuiſti (inquit) pedes meos tanquã ceruorum. Sunt & manuſcripta, quæ Neruinam habent, quaſi ex neruis, fidibuſq́ contextam, vt ad illius regis neruorum, vocumq́ cantus alludatur. Scimus enim cantorem fuiſſe excellentiſſimum.*

Elias aeream) *Aſcendit (inquit Scriptura) per turbinem in cœlũ. Itaq́ cum nimbo veheretur, habuit illius corpus aeris veluti tenuitatẽ, & ſubtilitatem.* 4 Regum

Iob biplagiam) *plagarum inſtar. Sunt plagæ, maculæ retiales, ait Nonius. quæ quoniam foraminibus plenæ ſunt, ad plagas ſanctiſſ. viri, & vlcera purulenta reſpexit.*

Eſaias Meſotropam) *Equidem ſi quis alius, hic mihi locus obſcuriſſ. videtur, tum propter vocis nouitatem, tum propter ſententiæ ipſius difficultatem. Sed obſcuritati aliqua ratione mederi conabimur. Græca vox ſonat Ancipitem, ambiguam, &, vt ita dicam, neutro modo ſe habentem. Medium enim, id eſt, anceps, dubium, ac neutrum* μέσον *Græci dicunt,* τρόπον *rationem ac modum. An ergo mediam veſtem dicit, quòd medius ſectus ſit? An verò, quòd de vtroq́ regno, nunc commiſtim, nunc ſeparatim (vt Hieron: ait) texat oraculum? & cum ad præſentem reſpiciat hiſtoriam, & poſt Babyloniæ captiuitatem, reditum populi ſignificet in Iudæam: tum omnis eius cura de vocatione gentium, & aduentu Chriſti eſt. An quòd veſtem dicit Meſotropam, & ambiguam, ad illius obſcuritatem referendum? de qua idem ipſe Eſaias: Erit vobis viſio, ſicut verba libri ſignati, quem cum dederit ſcienti litteras, diceturq́ ei, lege, reſpondebit: non poſſum legere. ſignatus eſt enim, & dabitur neſcienti literas, & reſpondebit, neſcio. Siue igitur Ethnicis, ſiue ſcribis & Phariſæis (ait Hieron.) detur Iſaias: non poſſumus legere dicent. atq́ hæc eſt fortaſſè veſtis illa Meſotropa. quãquam his meis coniecturis, non admodum fido. non enim omnem, etiamnum mihi ſcrupulum eximunt.*

Maria ſtolam) *Veſtem honeſtiſſimæ matronæ conuenientem. erat enim ſoror Aaron ſacerdotis: quam vt primariam fœminam cæteræ ſequebantur. Egreſſæq́ ſunt (ait) omnes mulieres poſt eam. & Stolam ve-*

 teres

Nonius. Stola. Iudith 16.

teres (ait Nonius) non honeſtam veſtem ſolùm, ſed etiam omnem, quæ corpus tegeret, appellabant, & ita in ſacris literis. Nam Iudith in cantico: Colligauit cincinos ſuos mitra, accepit ſtolam nouam &c.

Suſanna caſtalinam) *Alluſit ad mulieris caſtitatem.*

** LEETHANO. Deuteronom: 14. Plinius libro 9. cap: 36. Deuteronom: 33.*

Moyſes conchylinam) *purpuream, qui color ex Conchylio eſt. Nã cum ille exercitum per mare rubrum traieciſſet: vbi etiam eiuſmodi conchas creſcere dicunt: Reuerſum eſt (inquit ſcriptura) mare * ad priſtinã vehementiam, quaſiq́ iras colligens, & excandeſcens, abſorpſit Ægyptios. At Plinius ſimilem iraſcenti mari eum colorem dicit. Iam Moſes, vt eſt in Deuteron. fuit rex in Iſrael, vt illi iure optimo, purpura, regũ inſigne tribuenda ſit.*

Homerus. Genesis 4. Cicer. pro Cælio. Mors purpurea quæ dicatur. Aelianus lib. 16 cap. 1.

Abel purpuream) *Purpurea illum mors, violentaq́, parca peremit, vt Homerus ait. nam ad illud alluſum eſt: Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nam cùm purpureus color niger ſit, rubore quodam admixto, nigricantis roſæ ſplendore ſublucens (vnde Cicero, purpuram plebeiam & fuſcam dicit) ſanguinis ex humano corpore fluentis ſpeciem refert. Ac fortaßè vno tantùm lapidis ictu, à fratre peremptus eſt. Ea enim Purpurea mors dicitur. quod, quoniam multis ignotũ arbitror, locum Æliani proferam: Purpurarius piſcator, ſi, poſtquam purpuram non in hominum cibum, ſed ad tingendas lanas comprehenderit, conſtantem, & genuinum velit colorem fieri, & perfectè tinctum: vno ſaxi ictu purpuram vnà cum teſta interimit. Quòd ſi leuior plaga inferatur, & etiamnum ſpirans relinquatur, atq́ iterum lapide percutiatur, ad tincturam fit inutilis. nam ex eo dolore tincturam amittit. ſiue illa per eius corpus diſperſa imbibatur, ſiue aliter effluat. Quod quidem præclarè Homerum intellexiſſe dicunt. idcirco vno ictu celeriter morientes purpurea morte affici ait, peruulgatum ſuis verſibus illud canens, Purpurea illum mors, violentaq́ Parca peremit.*

Exodi 32. Exodi 34.

Leui ſpartacinam) *Si ſparteam ab ſparto dixiſſet, cum ſpartum flexibile ſit, uideretur ideo dictum, quod Leuitica tribus, facilè ad diuinum obſequium flecteretur. neq́ enim vnquam ducis ſui imperia detrectauit, ſed ſingulare ſemper extitit erga Moſem Leuiticæ tribus ſtudium. Siquis eſt Domini (ille ait) iungatur mihi. congregatiq́ ſunt ad eũm omnes filij Leui. Rurſus: Feceruntq́ filij Leui iuxta ſermonem &c. Vnde cum populum duræ ceruicis appellat Moſes, illam tribum nullo modo comprehendit.*

hendit. Duro enim flexibile opponitur, & ſparto nil flexibilius, vinculi enim vſum præſtat, vt addubitet Plinius, num Geniſta ſpartum veteribus fuerit. Sed quoniam Spartacinam, non Sparteam dicit, venit in mentem, quod de Spartarum moribus, & virtute proditum eſt, cum alijs rebus, tum maximè virtute bellica fuiſſe clariſs. vt qui à pueris, corpora durarent, & omni laborum genere ad tolerantiam aſſuefacerent. Itaque, vt ipſius Leui animi robur, & corporis fortitudinem laudaret, quaſi Spartanum dicat. Sed arbitror, id quod res eſt, me nunc reperiſſe, ut ipſum Leui inſignem gladiatorem fuiſſe ſignificet. is enim vnà cum Symeon fratre, arrepto gladio Sichimitas interfecit. de quo Iudith: Domine Deus patris mei Symeon, qui dediſti illi gladium in defenſionem alienigenarũ. At Spartacum quendam fortiſſimum gladiatorem Plinius celebrat, quẽ Craſſus cum debellaſſet, laurea (ait) coronatus eſt.

Plinius libro 24. cap. 9.
Geneſis 34.
Iudith 9.
Plini. libro 15. cap. 29.

Thamar colorinam) *Qua erat induta, cum ab Amnon fratre domo pulſa eſt. quamquam enim latina tralatio, Talari tunica dicat: ex Hebræo tamen PACIM multicolori ſiue polymita dici poteſt. quemadmodũ latinus interpres, pro eadem voce quæ in Regibus poſita eſt, cum ſimilem Scriptura tunicam Ioſepho tribuit, non talarem, ſed polymitam dicit: Fecit (inquit) ei tunicam polymitam, id eſt, verſicoloribus, & variantib. licijs contextam. Sed de virgine, & filia regis agens, talarem dixit, quòd honeſtæ virgini conueniret, eandem in Ioſeph polymitam, quæ adoleſcenti accommodatior. Quanquam ſuſpicor pro Colorinam eruditum virum Coloriam poſuiſſe. Nam Vopiſcus, ſi bene memini, ita vocat. Et Iureconſulti Verſicoloriam, qua vſos magiſtratuum miniſtros ex Impp. Conſtitu. conſtat his verbis: Officiales, per quos ſtatuta complentur, vti quidẽ penulis iubemus. verùm interiorem veſtem admodum cingulis obſeruare. ita tamen, vt diſcoloribus quoq; pallijs pectora contegentes, conditionis ſuæ neceſſitatem ex huiuſmodi agnitione teſtentur. Memini & apud Petronium diſcoloriam dici: Lictorem (inquit) vidi amictum diſcoloria veſte.*

2 Regum 13 cap.
PACIM.
Geneſis 37.
Vopiſcus in Aureliano.
Cod. Theodoſ. Titu. de habitu intra vrbem vti oportet.
Petron. Arbiter Satyric.

Azarias carbaſinam) *Angelus eſt Raphael, de quo apud Tobiam, humana ſpecie, ſe viæ comitem, & ducem præbuiſſe. Ego (inquit) ſum Azarias Ananiæ magni filius. nihil verius. Is enim in adoleſcẽtis præſidium à Deo miſſus eſt, & AZARIAH nil aliud Hebraicè ſonat, quàm diuinum præſidium, quod & præſtitit Raphael. Porrò omnipotens*

AZARIAH quid ſignificat.

nipotens Deus, magnus eſt Ananias, id eſt, benignus, liberalis, miſeri-
HANANIAH. cors, fauorem & gratiam præſtans, quæ omnia Hebræis HANANIÆ
nomine continentur. Quòd veſtem illi ex ſubtiliſsimo lino tribuit: non
Danel. 10. caret eruditione. reſpexit opinor Danielis verba: Leuaui oculos meos et
vidi, & ecce vir vnus veſtibus lineis. quo amictu ſubtiliſsimi corpo-
Baſil. Nazianz. ris tenuitatem ſignificat, qua Angeli ex Græcorum patrum ſententia præ
Nyſſ. diti ſunt, vel quod aſſumunt, cum hominibus apparent. Angeli (ait Ru-
Rupertus Abbas pertus Tuitienſis grauiſs. auctor) & ſi ad comparationem noſtri, ſpiritus
lib. 1. Comm. in dicũtur, & ſunt: in cõparatione tamẽ Dei corporei ſunt. Habent namq; ut
Gene. cap. 11. docti quoq; & magni viri credũt, corpora ex iſto aere craſſo, atq; humi-
do, qui vento flante ſentitur impulſus, præſertim qualis erat, cum adhuc
tenebræ eſſent ſuper faciem abyſsi, de quibus, vt Apoſtolus ait, Deus lu-
cem ſplendeſcere iuſsit. Ecquid ſi hoc ad Azariam, ſacerdotum princi-
2 Paralipom. 16 pem referatur, qui ſe Oziæ incenſum adolere volenti conſtanter oppoſuit?
Nam ſacerdotalem veſtem fuiſſe carbaſinam, ex illo apparet: Veſtietur
Leuitici 6. tunica ſacerdos, & fœminalibus lineis. Iam, quæ eſt Sacrarũ literarũ fæ-
cunditas, nequaquam aberraturum puto, qui de ipſo Ozia locum intelle-
xerit. Is enim Azarias etiam dicebatur. Ita enim reperio in Regibus:
4 Regum 14. Tulit autem vniuerſus populus Iudæ, Azariam annos natum ſedecim,
& conſtituerunt regem, pro patre eius Amaſia. Rurſus in Paralipom:
2 Paralip. 26. Omnis autem populus Iuda filium eius (Amaſiæ) Oziam annorum ſe-
decim, conſtituit regem, pro Amaſia patre ſuo. Quod ſi incenſum volu-
it adolere: veriſimile eſt, eum ſacerdotali veſte fuiſſe vſum.

Aaron murhinam) *Murinámne? an murrhinam? ſi murinam, id
eſt, muris colore: digna veſtis religioſorum grauitate. Si murrhinam, re-*
Plini. libro 19. *ctè. generoſiſsimi lapidis genus eſt, odoris præſtantia commendabile, & co*
cap. 8. *lorum varietate inſigne, vt Plinius ſcribit. Aaronis verò precioſiſsi-
mos in Rationali lapides, quis ignorat?*

Iudith hyacinthinam) *Hyacinthus, violæ genus colore, odore,*
Plinius libro 21. cap. 26. *ſucco inter cætera laudatiſsimum. Optima ex eo vnguenta & odoramen*
Iudith 10. & 16. *ta. Ergo de Iudith ità ſcriptum eſt: Induit ſe veſtimento lætitiæ. vn-
xit faciem ſuam vnguento. Lauit corpus ſuum, vnxit ſe myrto optimo.
Hæc ad odorem & ſuccum. de colore, qui potiſsimùm in hyacintho lau-
datur, illa: Cui etiam Dominus contulit ſplendorem, & pulchritudinem
ampliauit; ut incomparabili decore omnium oculis appareret. Tum ara-*

[illegible]rum

neorum morſibus reſiſtit hyacinthus,illa Holoferni,eius pudicitiam contaminare conanti.

Cain ſerrugineam) *Vt rubigo ferrum, ita illum liuor exedebat. Itaq; ferro diuturna rubigine exeſo illũ cõparauit. Pulchrè Clemens Alexand. Inuidia de cœlo deiecit Angelum, de paradiſo exclũſit hominem.* *Inuidia.*
ipſa primum contaminauit terras germano ſanguine. ipſa germanos compulit venundare germanum. ipſa Moyſem fugauit. Aaronem in fratris excitauit iniuriã. Mariam maculauit liuore germani. ac ne multis, quod pauet mens, quod uiſus tremit, quod auditus non capit, ipſum Chriſti attendit, & peruenit ad ſanguinem. quos cœperit, liberari nequeunt, quos *Inuidi inſanabiles.*
vulnerarit, ad curam non veniunt, non redeunt ad ſalutem &c. Intellexit hoc Ariſtides, orator eloquentiſſimus, cum ait: ἔσχατον εἶναι δοκεῖ τῶν ἀνθρωπίνων ἁμαρτημάτων ὁ φθόνος, οὐκ ἔχων παραίτησιν. *Supremum in delictis humanis obtinet locum inuidia, nec vllam meretur veniam.* *Ariſtides Orat. de non agendis Comœdijs.*

Abiron nigram) *De Dathan, Chore, Abiron, ita ſcriptum legimus: Confeſtim vt ceſſauit loqui Moſes, dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum, deuorauit eos, cum tabernaculis ſuis, & vniuerſa ſubſtantia eorum, deſcenderuntq; viui in infernum. hæc opinor eſt veſtis illa nigra. Poteſt & ad ea referri, quæ in Hieruchuntis inſtauratione contigerunt. Eſt enim in Regibus: In diebus Achab, ædificauit Hiel de Bethel Iericho: in Abiram primitiuo ſuo fundauit eam, & in Segub nouiſſimo ſuo poſuit portas eius. quorũ ſenſus eſt: Iaciendis Hieruchuntis fundamentis, Abiramum primogenitum ſuum, Hielem amiſiſſe, cũ portas collocaret, Segub natu minimum. quod ipſi Ioſue, Dominus futurum prædixerat.* *Numeri 16.* *3 Regum 16.* *Ioſue 6.*

Anna Perſicinam) *Nullas diuitias cum optimo filio cenſeo comparandas. Num ergo à Perſarum diuitijs, Perſicinam dixit? Nam cùm filium ſuſcepiſſet, exclamauit: Dominus pauperem facit, & ditat.* *1 Regum 2.*

Iſaac natiuam) *nullo colore infectam. nam præterquàm quòd poſt patris circuncisionem natus, conceptusq; fuit, ideoq; Holocauſtum immaculatum Hebræi vocant, ſingulari fuit vitæ probitate, & innocentia, quas virtutes Natiuam veſtem vocat. ita enim ſcriptum: Fuit Iſaac vir ſimplex.*

Paulus Tharſicam) *Quoniam Tharſenſis fuit. in quo eius eruditionem fortaſsè laudat. fuit enim illa ciuitas omnium bonarum artium* *Tharſus.*

altrix, & alumna. tantumq́ (ait Strabo) Tharſenſibus ſtudiũ circa Philoſophiam fuit, καὶ τῶν ἄλλων ἐνκύκλιον ἅπασαν παιδεῖαν, *vt Athenas, & Alexandriã ſuperarent. & ſi quis alius locus dici poteſt, in quo ſcholæ & Philoſophicæ exercitationes fuerunt. Sed hoc vno plurimum excellunt, quòd hìc indigenæ diſcunt, peregrini verò non multi huc adueniunt. Didicit ergo inter cætera Paulus, & rationem docendi, ac dicendi. atq; hæc illius Tharſica veſtis. Etſi autem Tharſenſem ſeipſum vocat (ait Epiphan.) non ex hoc datur occaſio, his qui voces venantur, ad ſuam ipſorum & credentium ſubuerſionem. nam & Barnabam, Leuitã, Cyprium genere dicit. & non quia Cyprius, nõ erat à Leui. Sic Paulus, etiamſi à Tharſo originem trahebat, non erat alienus ab Iſrael. nam ſæpe ſe Iſraelitam, & Hebræum ex Hebræis vocat.*

Epiphan. contra Ebion. hær. 30.

Paulus Tharſenſis, & Barnabas Cyprius quomodo, Hebræi cum eſſent.

Petrus operariam) *Notum ex Clemente, et Hegeſippo, ipſisq́ Pauli Epiſtolis, Apoſtolos ne cui moleſtiam afferent, victum proprijs manibus quæſiſſe.*

Iacob alethinam) *Veſtes ergo, ut initio dicebam, animorum qualitates, habitusq́ ſignificant. Nam quoniam in Geneſi ſcriptum eſt: Factus eſt Eſau vir gnarus venandi, Iacob autem vir ſimplex: apparet illum inſigni fuiſſe probitate, quæ nunc Alethina veſtis dicitur. Veritatem enim, de qua eſt apud Micheam: Dabis veritatem Iacob, Græci* ἀλήθιαν *dicunt.*

Alethina veſtis

IESVS columbinam) *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde:*

At vbi diuiſit veſtem rex, reſpiciens eos &c.) *Cùm ea ſit vis virtutis, vt eam adepti, & omni animi perturbatione vacent, & in ocio ignaui eſſe non poſſint, præclarum ſemper aliquid agere, & meditari eos debere, nunc oſtendit. quippe diuidendis veſtibus ſignificauit, pro virtutũ & vitiorum qualitatibus, omnibus, huiuſmodi cœnam inſtrui, & fruendam proponi. nunc docet, non tam animorum habitus, quam actiones & operationes ſpectandas, pro quibus præmia vel ſupplicia decerni. Intereſt enim non parum (ait Ariſt.) in poſſeſſione, an vſu, habitu an operatione ſummum bonum exiſtere putemus. Fieri enim poteſt, vt habitus quidem, etſi ineſt, nullum efficiat bonum, ut in dormiente, uel etiam quodammodo opere vacante. vt operatio autem nihil efficiat boni, fieri nequit. qui namq́ operatur, aget certè neceſſariò, & bene etiam aget. Atq; vt in*

Virtus operoſa.

Ariſt. 1. Ethic. cap. 8.

vt in Olympis, non hi qui ſunt eleganti forma, roboreq́ præſtantes, ſed qui ſtrenuè decertant, coronantur: (ex his enim nonnulli vincunt) ſic & qui bene agunt, eorūq́ quæ ſunt in vita pulcherrima, & optima compotes fiunt. Ait ergo: Non ante cœnabitis, quàm ad huius cœnæ apparatum, accomodatas aliquas actiones, & miniſteria peregeritis.

Primus itaq; omniū, ignē petijt Elias) *Nō diſcedit à propoſito. quaſi ad coquenda cibaria ignis inducitur. ac dixi, non perſonas ſe ipſis ſpectandas, ſed quà, aliqua illis accomodari, & tribui in diuinis literis legimus. Et quoniam aduerſus pſeudoprophetas, ignem petijt, ceciditq́ de cœlo ad deuorandum eius holocauſtum (vtor ſcripturæ verbis) vt eſt in Regū hiſtoria, ideo ignem nunc petere dicitur.* 1 Regum 18.

Succendit Azarias) *Num rex Iudæ, qui & Ozias? Certè ſi incenſum adolere voluit, ignem ſuccendiſſe oportuit.* 4 Regum 14. 2 Paralipom. 26

Lignum collegit Iephthe) *Vouit Deo, proſperata victoria, holocauſtum ſe oblaturum. hoc ſine lignis fieri nequibat, vt eſt in Leuitico.* Iudicum 11. Leuitici 2.

Attulit Iſaac) *Tulit Abraham ligna holocauſti, & impoſuit ſuper Iſaac filium ſuum.* Gene. cap. 22.

Concidit Ioſeph) *Seruorum hoc eſt, lixarum & calonum. apparet de Gabaonitis. Decreuitq́ in illo die Ioſue, eos eſſe in miniſterio cuncti populi, & altaris Domini, cædentes ligna, & aquas comportantes. Rurſus in Deuteron. à lignorum (inquit) cæſoribus, vſq; ad comportantes aquas. Ioſeph autem ſeruum fuiſſe, liber Geneſis oſtendit. tum illa Dauidis: In ſeruum venundatus eſt Ioſeph. humiliauerunt in compedibus pedes eius, in ferrum venit anima eius.* Ioſue 9. Deuteronom. 29 Geneſis 37. Pſalmo 104.

Puteum aperuit Iacob) *in Geneſi: Amouit lapidem, quo puteus claudebatur.* Geneſis 29.

Hyſſopum porrexit Sephora) *Hebræa vox E Z O B, vnde noſtri inflexerunt hyſſopum. Hebræi origanum putant. quanquam alij hyſſopi ſpeciem faciunt. Quibuſdam Ros marinus, aſperſionibus aptus. Ideo illum nominauit Dauid: Aſperges me Domine hyſſopo. At cum in Exodo dicatur Sephora, filium circumcidiſſe: præputioq́ ad viri pedes proiecto, dixiſſe: ſponſus ſanguinum tu mihi es: hinc auctor pedes etiam Moſys ſanguine aſperſos putat, quæ aſperſio, more gentis, hyſſopo facienda erat.* Exodi 14.

Daniel. 8. Ad lacum ſtabat Daniel) *ex illis: Vidi autem in viſione eſſe me iuxta Vlai, & leuaui oculos meos, & vidi, & ecce aries vnus ſtabat ante paludem. ex quo Vlai, non portæ, quod habet Latina tranſlatio, ſed fluuij, vel paludis nomen videtur.*

3 Regum 23. Aquam attulerunt miniſtri) *num illi Dauidis milites? Deſiderauit ergo Dauid, & ait: O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethleem, iuxta portam. Irruerunt ergo tres fortes caſtra Philiſtinorum, & hauſerunt aquam de ciſterna, & attulerunt ad Dauid.*

Geneſis 24 Geneſis 9. & 21 & 15. Ioſue 3. Hydriam portauit Rebecca) *Vulgata hiſtoria in Geneſi. vt ea quæ ſequuntur, de Noe, Agar, Abraham, & Raab funiculo coccineo. Nam de Iudæ auaritia ſuperius dixi.*

Reſticulam porrexit IESVS) *D. noſter IESVS CHRISTVS captus, alligatus, verberatus, cæſus, crudeliſſima deniq; morte peremptus.*

3 Regum 8. Pedes copulauit Elias) *in ſacrificando, hoſtiarum pedes ligabantur. Cum alligaſſet (inquit Scriptura) Iſaac filium ſuum, poſuit eum in altari, ſuper ſtruem lignorum. De Elia, ad ſuperiora referendum: Ignẽ petijt Elias. nam contra pſeudoprohetas Deo immolauit. De Petro quod ſequitur, ex illis eſt: Domine, ſi percutimus in gladio?*

Danielis 12. Daniclis 2. Eliſit Daniel) *Quaſi victimam ille ferierit, ac iugularit. Sed cur id? An ob Draconem Babilonicum ab eo, vt ita dicam, eliſum? Tulit ergo Daniel picem, & adipem, et pilos, & coxit pariter, fecitq; maſſas, & dedit in os Draconis, & diruptus eſt. quod vocat Elidi. An quòd falſi teſtimonij conuictos ſenes, cædi fecit, eliſiſſe dicitur? An propter eliſam ſtatuam? Donec abſciſſus eſt (ait) lapis de monte ſine manibus, & percuſſit ſtatuam in pedibus. De Cain, notum.*

Daniel 14. Supportauit Abacuc) *Prandium in Babilonem, vt eſt in Danielis appendice.*

4 Regum 18. Suſpendit Abſalom) *Quia eo ſuſpenſo inter cælum & terram, mulus cui inſederat, pertranſiuit.*

4 Regum 1. Pellem detraxit Elias) *Quòd cùm igneo curru raperetur, Eliſeus leuauit pallium, quod ceciderat ei.*

Ventrem aperuit Hermocrates) *De hoc mihi non liquet. neq; in res minus neceſſarias nimium laboris, & operæ impendere ſoleo.*

Tobiæ 6. Mediam ſuſpendit Thobias) *Legitur etiam in manuſcrip. Media, &*

dia, & Mediana, utrumq; de piſcis, quem medium apprehendit, branchia, dictum eſt.

Sanguinem effudit Herodes) *Et quidem innocentiſſimum.*

Stercus proiecit Sem. Aquam adiecit Iapheth) *Iudæi, homines ineptè religioſi, multa ſæpe ad Sacras literas aſſuere conſueuerunt. ac fortè in illorũ Commentarijs, præter ea, quæ de ebrietate Noe legimus, aliquid aliud legerat auctor. niſi paternum illud dedecus, & ignominiã, cum pudendis reuelatis eſſet, ſtercus Metaphoricè vocat.* Geneſis 9.

Lauit Eliſeus) *Quoniam Naaman leproſo dixit: Vade, laua te ſepties in Iordane.* 4 Regum 5 cap.

Partes fecit Phalec) *Nati ſunt Heber duo filij, nomen vni Phaleg, eò quòd in diebus eius diuiſa eſt terra. quippe Hebræis FALEG diuiſionem ſignificat. Magnus profectò (ait R. Ioſe) propheta fuit Heber, qui in Spiritu ſancto, filium ſuum Paleg, id eſt, diuiſorem appellauit. Neq; enim dicendum eſt, diuiſam fuiſſe terram, cùm primùm Paleg natus eſt. nam Iectan frater eius natu minor, tredecim familiarum pater fuit, quæ cum alijs etiam diſperſæ ſunt. Itaq; à diuidendo cùm dicatur Phaleg, ideò diſtribuendi miniſteriũ illi tribuit. ab eadem voce Hebræa illæ dimanarunt, Plaga, Fluges, Confluges (aquarũ diuortia uocat Nonius, Plinius verò Corrudos) Pelagus, et noſtra lingua Golfo, ex literarum Metatheſi, & Golpe, quod eſt ictus, & Valentinis Pluja, id eſt, pluuia, omnia à diuidendo, quod Hebræum valet PALAG.* Ceder bolam.

Numerauit Auſes) *In antiquiſſimo Philonis exemplari calamo exarato, pro Ioſue Auſem memini legiſſe. quod ſi Auſes hic Ioſue eſt (mira enim Hebræorum nominum contingit deprauatio, ſi in alias linguas transfunduntur) ad diuiſionem terræ, referendus videtur hic numerus. Cum enim totam terram promiſſionis diuiſerit Iſraelitis, veriſimile eſt capita tribuum cenſa, & in dimetiendo numeris fuiſſe vſum.* Philo. Antiquit. Bibli. Ioſue 13.

Salem miſit Moleſſadon) *Quis hic eſt Maleſſadon? (ita enim alicubi lego) aut Moleſſadon? ubi uſquam nominatus? Mendum eſt, et, niſi vetuſtiſſimi alicuius exemplaris ope, opinor inſanabile. ſed adferam, vt ſoleo, meam coniecturam. Eſt in Daniele: Porrò Malaſar tollebat cibaria, & vinum potus eorum, dabatq; tribus pueris legumina. Legumina verò lupinos fuiſſe dixerat. Lupinos aqua, & ſale maceratos optimi* Danielis 1.

 ſucci

ſacci eſſe oſtendebamus. quoniam ergò Moleſadon ſalem mittit: fortaſſe pro Moleſadon, Malaſar legendum eſt. & de ſale quod dicitur, vel ad lupinos referendũ, uel ad victus parcitatem, qua fortaße Babylonij, ex Perſarum etiam commercio vtebantur. Rigidum (inquit Hieronymus) & parcioris victus, in morem Lacedæmoniorm, regnum Perſarum fuit: ita vt in pulmento ſale vterentur, & Cardamo. Ecquis ſcit, nùm pro Moleſſadon, Melech Sedom, id eſt, Rex Sodomæ, ſcriptum fuerit? Nam cùm ſæpe in verſione LXX. ex proprijs nominibus appellatiua facta ſint, & contra ex appellatiuis propria: de quo nos copioſè diximus, mirandum non eſſet, ſi pro eo quod eſt in Geneſi: Amraphel, Arioch, & Thadal inierunt bellum contra Bara MELECH SEDOM, id eſt, Regem Sodomorum, appellatiuo nomine MELECH, quod eſt βασιλεὺς, in proprium conflato, è duobus vnum coaluerit, & cum Rex Sedom, id eſt, Sodomæ dicendum eſſet: Melec Sedom manſerit, quod tantundem eſt, ac ſi dixeris, Rex Sodomæ, iam ex errore error, ut ex Melech Sedom, factum ſit Moleſſadon. Dicetur verò Rex Sodomæ ſalem mittere, propter illa quæ in Geneſi poſita ſunt: Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorhã ſulphur, & ignem à Domino, de cælo. vnde lacus ille Aſphaltides à ſalſugine dictus. & ſuperius ob eandem cauſam Loth habere veſtem ſortitur ſulphurinam. Meliora ſi quis attulerit, gratiam illi habituri ſumus.

Hieron. Comm. Daniel 7. — Libro 1. Spudamat. — Geneſis 14. — Geneſis 19.

Oleum adiecit Iacob) Nempe, effudit oleum ſuper lapidem, quem erexit in titulum.

Geneſis 28.

In focum impoſuit Antiochus) verius, quàm quod in alijs Ariochus. nam ſcriptum eſt in Machab. miſiſſe Antiochum principem tributorum in Hieruſalem, & ſuccendiſſe eam igni.

1 Machab. 1.

Coxit Rebecca) ex Geneſi: Parauit illa cibos, ſicut velle nouerat patrem illius.

Geneſis 14.

Prior guſtauit Eua) Notiſsimus locus.

Explicitiſq; omnibus, omnes locis ſuis reſederunt. Intulit panes Saul) Non eſt, quod initio dixi, iterum repetendum. perſonas hoc loco, non ex ſe ipſis conſiderari, ſed pro ijs muneribus ac miniſterijs, quæ illis in diuinis literis tribuuntur. Nam, quoniam Saul ferebat panes in ciſtella, aitq; ad puerum ſuum, Ecce ibimus, quid feremus ad virũ Dei? Panis deficit in ciſtellulis noſtris: ideo intuliſſe panes dicitur.

Regum 9.

Fregit IESVS) Acceptis ſeptem panibus, vt eſt in Marco, gratia-

Marci 8.

tias agens fregit, & dabat diſcipulis ſuis, vt apponerent, & appoſuerunt turbæ. ideo enim ſequitur: Tradidit omnibus Petrus.

Intulit lentem Iacob) *Coxit autem Iacob pulmentum, ad quem cùm veniſſet Eſau de agro feſſus, ait: Da mihi de coctione hac rufa &c.* Geneſis 25.

Intritam Abacuk) *ex Daniele: Erat autem Abacuk propheta in Iudæa, & ipſe coxerat pulmentum, & intriuerat panes in alueolo, & ibat in campum &c. Fer prandium, quod habes, in Babylonem Danieli &c. Surgensq́, Daniel comedit.* Danielis 14.

Fabam Amelſad) *Malaſſar hic eſt, qui Danieli legumina conceſſit. Sed neq; Amelſad, neq; Malaſſar, ſed Melzar dicendum.*

Prior guſtauit Miſael) *Secundus ex Danielis ſocijs. cur ergo prior guſtat?*

Hœdum coctum comedit Iſaac) *Patet ex Geneſi. vt quod de piſce Tobiæ ſequitur, ex illius hiſtoria.* Geneſis 27. Tobiæ 6.

Cæpit tumultuari Eglon) *veriſimile eſt, tumultũ ex cæde ortũ. Eglon enim ab Aod cæſus eſt.* Iudicum 3.

Eſuriebat Daniel) *Inter leones, iuxta illud: Recordatus es mei Deus, & non dereliquiſti diligentes te. Surgensq́, Daniel comedit. Sed ad illud potius referendum cenſeo: In diebus illis, ego Daniel lugebam, trium hebdomadarum diebus panem deſiderabilem non comedi, & caro, & vinum non introierunt in os meum.* Danielis 14.

Panem petebat Hermocrates) *De Hermocrate iſto, nil nunc ſuccurit. neq; mihi otium ad meditandum, bibliothecam, & quietem, qualẽ hæc ſtudia deſiderant, adhuc fortuna conceſſit.* Studiorum tranquillitas.

Non manducabat Ioannes) *Ex illo: Venit Ioannes in via iuſtitiæ, neq; edens, neq; bibens. Scriptura (inquit Epiphan.) emphaſim indicat veritatis, vt edacem ipſum eſſe, ac potorem, nil aliud ſit, quam carnes edere, ac vinum bibere. &: Non edere neq; bibere, quod carne nõ uteretur, & vino, ſed locuſtis ſolum & melle. manifeſtum eſt enim, quod & aquam ſumpſit.* Epiphan. hære. 30. Locus explicatus, quid carnes edere, ac vinum bibere.

Nil guſtauerat Moyſes) *Exodo: Fuit ergo ibi cũ Domino, quadraginta dies, & quadraginta noctes, panem non comedit, & aquam non bibit.* Exodi 34.

Ieiunus fuit IESVS) *Non eſt, quod notiſſima perſequar. & quod de venationibus ait, varijs perſonis, varia etiam ciborum genera*

tribuit,

tribuit, quæ aliqua ratione ex Scriptura colligi poſſunt, quo ſignificat, hãc mundi cœnam, omnibus etiã in vniuerſum, pro cuiuſq; ſtatu, & conditione ad fruendum eſſe propoſitam.

Geneſis 15. Abraham vitulinam) *Sume tibi vaccam triennem. vel: Ipſe verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum.*

Gene. 18. & 25. Eſau ceruinam) *Factus eſt Eſau gnarus venandi.*

Geneſis 4. Abel agninam) *Fuit enim paſtor ouium.*

Geneſis 8. & 9. Noe arietinam) *Ob illud: Cùm obtuliſſet holocauſta de cunctis pecoribus, benedixit ei Deus, & filijs eius, &c.*

Iudicum 14. Samſon leoninam) *Diſcerpſit enim Leonem.*

4 Regum 2. Eliſeus vrſinam) *Maledixit pueris, & egreſſi ſunt duo vrſi de ſaltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros.*

Geneſis 43. Maiorem partem tenebat Beniamin) *in Geneſi: Maior pars venit Beniamin, ita vt quinq; partibus excederet.*

Geneſis 41. Panes Pharao) *fame notiſſima, de qua in Geneſi.*

Diſcum intulit Herodes) *Ob caput viri omnium optimi & innocentiſſimi, in diſco allatum.*

Geneſis 25. Partes compoſuit Rebecca) *fortè ex illo: Parauit cibos pro Iacob eius filio, ſicut velle nouerat patrem illius, deditq; &c.*

Intulit Iacob) *Cibos à matre paratos.*

Geneſis 6. Diſtribuit omnibus Noe) *Tolles igitur tecum, ex omnibus eſcis, quæ mandi poſſunt, & comportabis apud te, & erunt tàm tibi, quàm illis in eſcam.*

Primus ergo ſuſtulit Ioannes caput) *Quoniam illi caput abſciſſum eſt.*

2 Regum 14. Cerebellum Abſalom) *Ob cæſariem dicit, lumenq; iuuentæ purpureum: Porrò ſicut Abſalom vir non erat pulcher in omni Iſrael, & decorus nimis, à veſtigio pedis vſq; ad verticem, non erat in illo vna macula, & quando tondebat capillum (ſemel autem in anno tondebatur, quia grauabat eũ cæſaries) ponderabat capillos capitis ſui, ducentis ſiclis pondere publico.*

Exodi 4. Linguam Aaron) *Propter illius eloquentiam: Obſecro Domine, (ait Moyſes) non ſum eloquens ab heri, & nudius tertius, & ex quo locutus es ad ſeruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ ſum. tunc dixit ei Dominus: Aaron frater tuus Leuites, ſcio quòd eloquens ſit &c.*

Maxillam

Maxillam Samſon) *in Iudicib. Inuentamq́, maxillam aſini, quæ* Iudicum 15.
iacebat arripiens, interfecit in ea mille viros.

Auriculam Petrus) *Serui auriculam amputauit, quà dixit: Domine, ſi percutimus in gladio?*

Oculos Lia) *Lippitudinem reſpexit, vt eſt in Geneſi: Sed Lia e-* Geneſis 29.
rat lippis oculis

Ceruicem Holofernes) *Quoniam Iudith percuſſit ceruicem eius,* Iudith 33.
& abſcidit illi caput.

Arterias Zacharias) *Filius Ioiadæ ſacerdos magnus, populi totius quaſi ſpiritus & vita (eſtq́, Arteria, vitalis quæ dicitur, conceptaculũ ſpiritus mixti, confuſiq́, cum ſanguine) qui cum interfectus eſt, vt eſt in*
Paralipomenis, tum in eius arterijs nihil eſt vitalis ſpiritus relictum. 2 Paralipo. 24.

Collum Saul) *in Regibus: Ab humero & ſurſum eminebat ſu-* 1 Regum 9.
per omnem populum.

Armoram Agar) *Armum potius, quàm Armoram. Eſt enim* Locus emenda-
Armus in brutis, quod in hominibus humerus. Et quoniam de Agar tus.
ſcriptum eſt: Surrexit itaq; Abraham mane, & tollens panem, & vtrẽ Geneſis 21.
aquæ, impoſuit ſcapulæ eius, ideo ei Armum tribuit.

Interanea Ionas) *Manſit enim in ventre piſcis tribus diebus, toti-* Ionæ 2.
dem noctibus.

Fel piſcis Tobias) *Quòd illud indicaret Angelus, ſanandæ ocu-* Tobiæ 6.
lorum albugini conferre.

Cor Pharao) *Fortè dictum ob illius duritiam, atq; proteruiam, de* Exodi 4.
qua: Induratum eſt cor Pharaonis.

Renalia Eſaias) *Renes lumbis adhærent, at ille in lumbis geſtaſſe* Eſaiæ 21.
ſaccum dicitur.

Latus Adam, Coſtam Eua) *Notus locus.* Geneſis 2.

Ventrem Sara) *Quòd affecta iam ætate vterum geſtarit.* Geneſis 18.

Vuluam Elizabeth) *Ecce Elizabeth cognata tua, & ipſa cõcepit in vtero in ſenectute ſua. Rurſus: Elizabeth impletum eſt tempus pariendi.*

Adipem Abel) *Obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus* Geneſis 3.
eorum.

Fœmora Abraham) *Quoniam adiuratus ſeruus de quærenda filio* Geneſis 24.
vxore, poſuit manum ſub femore Domini ſui, & iurauit illi.

Caudam Moyſes) *Virga in colubrum verſa, dixit ei Dominus: Extende manum tuam, & apprehende caudam.*

Crura Loth) *Sunt illa ad velocitatem motus & curſus. Eiq; dictum eſt ab Angelis: Feſtina, & ſalua te illic.*

Geneſis 19. Pedes Iacob) *Collegit pedes ſuos ſuper lectum, & obijt.*

Geneſis 49. Ezechiel 37. Oſſa collegit Ezechiel) *Notiſsima eſt illius prophetia: Oſſa arida audite verbum Domini.*

Iacobus & Andreas intulerunt piſces) *Erant piſcatores.*

Suſtulit itaq; Aſellum IESVS) *Non eſt meum inſtitutum, de animalium, aut piſcium natura copioſè diſputare. alioqui poſſem meas paginas, quod quidam faciunt, alienis ſcriptis perbellè refercire. quàm multa ex Ariſtotele, Nicandro, Plinio, Oppiano, Æliano recenſere? quæ fateor à me eſſe lecta. Sed pauca ad inſtitutum noſtrum Theologicum. ex infinitis ergo, ea tantùm delibabo, quæ auctoris huius ingenium, eruditionem, acumen, oſtendant. eaq; adiungam, quæ & longo vſu, & aſsidua lectione, & animaduerſione didici. Neq; eos moror, qui humanitatis ſtudia à ſacris literis dirimũt, id eſt, qui bonas literas, earumq; cultores odio proſequuntur. neq; cauſas odiorum reddere ipſi poſſunt, qui tam vehementer oderũt, niſi quòd cũ docti & dici, & haberi cupiãt, & ignorare ſe pulcherrima vident, iraſcuntur ijs, qui in bonis literis & artibus, ætatem contriuerunt.* Odium ex ignorã *Ij verò ſi interrogentur, quid ſibi velit hic auctor (ſi fortè eum omnino viderunt) dum Pharaoni Polypum, Abſaloni Capitonem, Redemptori noſtro Aſellum tribuit: ſat ſcio obmuteſcent. aut, quod proximum eſt quorundam hominum perfugium, Cyprianum negabunt eſſe Cyprianum. Horum maximè cauſa has interpretationes conficimus, & indies confecturi ſumus, ſi fortè illos huiuſmodi laboribus, ab inepta perſuaſione deducere poſsimus. Suſtulit itaq; Aſellũ IESVS) Non quæram* Aſellus piſcis. *quod Ælianus, num Aſellus Trigla ſit, cor in ventre, lapillos in capite habeat, caniculæ ortum extimeſcat, ſolitarius viuat. nihil horum reſpexit auctor. quis ſit Aſellus dicam, quod cæteri tacuerunt. Eſt igitur, quẽ Valentini, apud quos bonas literas didici, vulgò appellant Lluz.* Lluz. *Narbonenſes verò Merluz, quaſi ex Mero, & Lucio voce compoſita. Galleci lingua vulgari, Peſcado ſecial. habet aſini colorem. Porrò mihi dubium non eſt, quin auctor Aſellum nominans, Domini noſtri IESV CHRISTI, patientiam, tolerantiam, cruciatus, plagas, mortem, paſsionemq; reſpexerit.*

ſpexerit. Etenim Iacob patriarcha carnem Redemptoris ſacratiſsimū, ob eandem cauſam Aſinam vocat. Non auferetur ſceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium. Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem, ô fili mi, aſinam ſuam. Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ palliū ſuum. Horum verborum optimus interpres CHRISTVS, *cùm in parabola illius, qui inciderat in latrones, Iumentum nominat, cui Samaritanus ille, vulneratum hominem impoſuerit, ſuum ipſius corpus, Iumentum vocat, vt Aſinam Iacob patriarcha. quis enim in ferendis oneribus, in perferendis verberibus & plagis, illius animalis robur, patientiam, tolerantiam non videt? At Chriſti tormentorum magnitudinem & grauitatem, quis ignorat? pugnis, calcibus, fuſtibus, in humū proiectionibus, raptationibus, barbæ, capilliq́, euulſionibus contuſum, & multa, et magna paſſum, opprobrijs deniq́, quod ait Ieremias, fuiſſe ſaturatū. nam cū: Dinumerauerūt (ait) omnia oſſa mea, nonne oſtendit, carnem adeò eſſe conciſam flagellis, vt oſſa nudarentur, ita vt facilè eorum numerus iniri potuerit? quod Caldæus expreſsit, cùm illa Dauidis: Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores, explicans, dixit: Supra dorſum meū, arauerunt peccatores, vt vomeris (inquit) in agro, ſic in carne ſanctiſsima verberum, quaſi ſulcos fuiſſe relictos. Aſellus ergo, & quidem (quod de Iſacar dictum eſt) oſſeus, vel æreus potius & adamantinus.*

Caro Chriſti Aſellus.
Arcanus ſenſus
Geneſis 49.
Iumentum quid.
ARARE.
Caldæus in carne Chriſti ſulcos ex verberibus fuiſſe.
Geneſis 49.
Pro, Iſacar aſinus fortis. Hebraicè eſt, Aſinus oſſeus.

Labeonem Moyſes). χείλων *Ariſtoteli, à magnitudine labiorum. vnde Labrus Ouidio. & quòd lineas habeat nigricantes, à branchijs ad caudam, Vergadelle quibuſdam dicitur. Et quanquam Labeonem inſignē Iureconſultum fuiſſe ſcimus, Moyſem verò excellentiſsimum legiſlatorem, de piſce hîc non de viro agitur. Labeonem verò piſcem prorſus carere dentibus certum eſt. & quanquam nonnulla animalia, cibi tantùm conficiendi gratia, dentes habent: ſed potiſsimum locutionis gratia (ait Ariſt.) tales, totq́, numero dentes homo ſortitus eſt, ad literas enim exprimendas plurimum conferunt primi dentes. Quamobrem (idem ait) quibus animantium lingua libera, abſolutaq́, non eſt: ea neq́, vocem emittunt, neq́, ſermocinantur. Iam labra ad vſum ſermonis etiam data ſunt. Etenim vt linguam non ſimilem atq́, alijs animantibus natura homini dedit, ſed idoneam, qua ad duplicem actionem vteretur, percipiendos ſapores, ſermonemq́, formandum: ſic labra tàm ſermonis, quàm tutelæ*

Geneſis 49.
Gellius libro 13. capite 10.
Ariſt. de partib. anim & earum cauſ lib. 3 cap. 1. fol. 466.
Ariſt. libro 4. de hiſt. ani. capite 9.
Libro 2. de partib. ani. cap. 16.

dentium gratia adhibuit. Cùm ergo & de labijs, & lingua Moyſes di-
Exodi 4. cat: Os graue, & lingua grauis eſt mihi, non ſum eloquens ab heri, & nudiustertius: ea omnia quæ de labris, linguaq́ diximus, reſpexit auctor, cùm Labeonem piſcem, qui dentibus caret, & grandibus labijs eſt, Moyſi tribuit.

Lupus. Lupum Beniamin) λάβραξ. Romæ Lupaſſo, & Spigola. Genuæ Louazo. Venetijs Varalo. Nos Lobarro. cumq́ nil de eo reperiam, quod ad Beniamin priuatim trahi poßit: non naturam piſcis, ſed nomen
Geneſis 49. tantum reſpexit. propter illa, quæ de eo Patriarcha ſcripta ſunt: Beniamin lupus rapax, mane comedet prædam, & veſpere diuidet ſpolia. in quo ipſius Beniamin prærogatiuam celebrat pater, quòd in eius ſorte templũ Hieroſolymitanum eſſet exſtruendum, quippe ob iuge ſacrificium, & tot animalium victimas, quæ ibi eſſent abſumendæ, Lupum rapacem vocat, vt antea dixi. Quòd ſi ad Paulum referendum ſit, ſuccurit coniectura noſtra, ex magno Ariſtotele. Piſces (inquit) plurimi ſemel pariunt, vt ij,
Piſces Fuſani Gazæ. quos Fuſanos ex re cognominant, quia fuſim retibus capiuntur, vt thunni, limariæ, mugiles, ſpuriæ, monedulæ, chromes, paſſeres, & reliqua generis eiuſdem, excepto Lupo: huic enim ſoli ex eo genere partus bis exercetur. ſed poſterior infirmior eſt. At Paulus duplicem ſuum partum memorat: Filioli mei, quos iterum in Chriſto parturio. & cùm Parturio dicit, laborem ſuum ſignificat, ob illorum fidei infirmitatem. Itaq́ Luporum poſteriorem partum infirmiorem vocat Ariſt. Hoc ſi bene conieci, aut auctoris inſtitutũ ingenio aſſecutus ſum: non puto me, iſtas horas malè collocaſſe.

Ariſt. lib. 5. de hiſt. ani. cap. 9.

Lupi bis pariunt

Mugil. Mugilem Abel) Ariſt. Plin. Ælian. timidum eſſe dicunt, atq́
Plin. lib. 9. cap. 17. tanta ſimplicitate, vt, abſcondito capite, totum ſe occultari exiſtimet.
Ariſto. libro 8. de hiſt. ani. capite 2. Abel verò eadem animi ſimplicitate, fratris inſidias, neq́ cauere, neque præuidere potuit, ac fortaſſè, inſurgente fratre, & irruente (quod facit Mugil) caput texit, quaſi corpus non eſſet ictibus expoſitum.

Muræna. Murænam Eua) Cùm ad Adam beſtias omnes terreſtres, omnesq́ aëreas volucres, Deus adduxiſſet, vt quo quamq́ animantium nomine
Geneſis 2. Adam appellaſſet, id eſſet eius nomen, cumq́ impoſuiſſet nomina pecoribus, volucribus, terreſtribusq́ beſtijs omnibus, cùm cætera animantia fœminas ſui quæq́ generis haberent: ſolus Adam hoc adiumento carebat: Faciamus ergo (ait Dominus) adiumentũ accomodatum, quod tanquam

quam membrum de membris, corpusq́; de corpore ſuo agnoſcens, mutuoq́; complectens, poſſit ſibi ſimiles animantes procreare. nam quod Latinus interpres: Simile ſibi dicit, Hebræū CHENEGDO ualet: Contra ipſum, Coram ipſo, E regione ipſius, quaſi dicat, Adiutorium illud, cùm ad reliquas vitæ commoditates, tùm maximè, quòd ad liberorum procreationē mutuò complectatur, datum. Itaq; ex eis vniuerſum humanum genus numeroſo fœtu propagatum eſt. Eſſe verò muliebrem ſexum amabilem, eaſdemq́; omnibus anni temporibus concipere, & parere omnes ſciunt. Hæc omnia Murænis aptè conueniunt. Primùm fœminas tantùm, non mares Muranas reperimus. nec vt cætera animantia auerſæ, ſed mutuò complexu munere illo venereo funguntur. Ariſtotelis verba ſunt: Murænis coitus circumplexu mutuo ſupinarum partium agitur. Cætera vt quadrent, eundem audi: Non deſunt, quæ omnibus anni temporibus pariant, vt Muræna: cuius partus & numeroſior eſt, & quæ prodierint ex paruo, celeri incremento adoleſcunt. Eaſdem verò ab hominibus etiā adeò adamatas legimus, vt exanimatas aliquando fleuerint magni viri. Euam autem, pluſquàm par eſt viro fuiſſe dilectam, illa Auguſtini verba indicant: Comediſſe Adam de arboris fructu, ne contriſtaret delicias ſuas.

CHENEGDO quid?

Vt Eua Muræna quadret.

Ariſt. de hiſt. animal. lib. 5. ca. 4.

Eodem lib. ca. 10.

Plinius libro 9. cap. 55.

Hortenſius Orator Murænam fleuit.

Auguſtinus.

Pelamydem Adam) *Dixi ego ſæpè hunc eſſe auctorem ſanè quam eruditum. quid enim dici potuit acutius? Primum ergo de nomine. Primus fœtus Thuni, dicitur Cordyla. at minor anno Pelamys, quòd in luto pleruncq; lateat. à latinis Limoſa. deinde eſt Thunus. pòſt Orcynus. demum Cete. Pelamys tamē pro quouis piſce in limo verſante accipitur. à noſtris Bonitol, & corrupta uoce Græca Palomida, & Melua, quæ eſitata, corpus ob difficultatem concoctionis incendit, & tumefacit pruritu excitato. Limoſæ (inquit Plinius) à luto Pelamydes incipiunt vocari, & cùm annuum exceſſere tempus, thynni. Eruditus auctor, qui hoc legerat, Pelamydes à Limo dici, illum Geneſis locum reſpiciens, Adam quoniā de limo terræ formatus ſit, ab ADAMAH limo, Adam dictum, limoſum piſcem, & à limo Græcis Pelamydem dictum, Adæ tribuit. Rectè enim Nazianzenus,*

Pelamys à luto.

Plinius libro 9. cap. 15.

ἦδ' ἀρχὴ.
πηλὸς· ἅπασιν ἴσως
δέρματα πᾶσιν ὅμοια. *id eſt,*

Nazianzenus.

Principium autem. Lutum omnes æqualiter
Pelles omnibus ſimiles. Rurſus:

εἷς χνοῦς πάντες
ἑνὸς πλάστου γένος.

Vnus puluis omnes
Vnius figuli genus.

Locuſta. Matthæi 3.

Locuſtam Ioannes) *Ex Matthæo: Porrò cibus illius erat locuſtæ, & mel ſylueſtre. Et quoniam eiuſdem nominis piſcis eſt, qui cum Polypo, & Murena graues gerit inimicitias, vt ſcribit Ælianus: ad locum Euangelicum alluſit. Vtebatur verò Ioannes locuſtis, vt cibo viliſſimo. quanquam noui quidam homines, vt ſe aliquid præter cæteros ſapere oſtendant, cancros fluuiatiles fuiſſe dicant, qui cibus potentiorum hominum eſſet. Atqui Hierony: Cibi (inquit) diſplicent viliores? nihil vilius eſt locuſtis. Rurſus contra Iouinianum, Locuſtarum nubes dicit. non ergo cancri ſunt, neq; enim cancri volant. Sed mirandum non eſt, ex locuſtis, viliſſimo cibo, cancros marinos facere, cùm olim Ebionæi adulteratores verbi Dei, eaſdem locuſtas, Manna, & aquoſam quandam olei dulcedinem eſſe dixerint, corrupta, & deprauata ea voce quam poſuit Euangeliſta. Verba Epiphanij ſunt: Cibus eius (inquit Ebion) mel ſylueſtre, cuius ſapor erat ipſius mannæ, velut ἐγκρὶς, hoc eſt, aquoſa dulcedo in oleo: quo videlicet veritatis ſermonem in mendacium conuerterent, & pro ἀκρίδας, id eſt locuſtæ, ἐγκρίδα, hoc eſt, aquoſam olei dulcedinē in melle facerent. Athanaſium miror, qui genus herbæ fuiſſe dicat, probatq; ex illo Dauidis: Excuſſus ſum ſicut locuſta. Rurſus ex Eccleſiaſte: Impinguabitur locuſta. Vt enim (ait) amygdalus non eſt caro, & capparis herba eſt: ita locuſta, quæ creſcit in campo & prato. Ioannes enim, ſi panem non comedebat, multò minus carnem. Sed de his accuratius in noſtris Spudaſmatis.*

Locuſta Ioannis. Hier. ad Marcel. de ægrotat. Bleſillæ.

Contra Iouinian. libro 2. cap. 3.

Epiphan. hæreſ. 30. contra Ebionæos.

Ebionæi mutant & corrumpunt ſcriptur.

Athanaſ. locuſtas herbas eſſe putat.

Eccleſi. 12.

Geneſis 4. ξιφίας, Gladius.

Gladium Cain) *aptiſſimè. nam, qui fratrem Abel interfecit, meritò ei Gladius piſcis tribuitur. in quo animaduertenda auctoris eruditio, qui cum Gladium pro mucrone, & eiuſdem nominis piſce vſurpet, homonymia ludit. Gladius enim piſcis, ea parte, vnde nomen traxit, tanquàm gladio vtitur. dicitur Græcis ξιφίας, γαλεώνυμος, & κύων. alij marini canis partē eſſe nolunt, qui à latinis Thurſio. Nos Emperador, Peſce eſpada. & Valentiæ Peix ſpaſe, id eſt, piſcis gladius. cetaceus eſt, & memini me*

ni me octo cubitorũ uidiſſe. Ac ut ea omittã, quæ à Plin. dicũtur: Ælianũ *Plin. li. 9. ca. 15*
præterire nõ poſſum, quòd accuratè ſanè hũc nobis piſcẽ depinxerit: ξιφίαι *Aelia. libro 14. de anim. ca. 23.*
(inquit) πρέπουσι τῷ ὀνόματι &c. id eſt, Gladij conuenientiſſimũ nomen
habẽt, cũ enim omni reliquo corpore teneri ſunt, & tactu mites: tũ dentes
eorũ non admodũ curui, neq; immanes ſpectantur. neq; ſic horret ſpina in
dorſo, quemadmodũ Delphinorũ, nec in cauda. ſed quod magnã vel audientiũ,
uel uidentiũ admirationẽ moueat, ſub ipſis naribus quà reſpirant,
& aqua ad branchias eis influit ac refluit, in mucronẽ roſtrum procedit,
& rectum porrigitur, ſenſimq; & leniter in longitudinem, & craſſitudinem
urgetur. & dum ad cetaceam magnitudinem piſcis excreſcit, illius
etiam mucro tandem, vel triremis roſtro comparari poteſt. Neq; modò
cùm cibi copia augetur, mucronati roſtri in curſu piſces interficit, atq; exeſt:
ſed etiam maxima cete propellit & vlciſcitur, non quidem armis ex
ferro confectis, ſed natura comparatis, vt ij, qui magnitudine proceſſerũt,
contra nauem, mucronem in eam defigentes, venire audeant.

Capitonem Abſalom) *Hunc nos Matajudio. Valentini Liſſa.* *κέφαλος capito.*
*Narbonenſes Cabot. Romani Græca voce retenta Ceſalo dicunt. quanquam
Galeno* κέφαλος, *pro omnibus mugilibus accipitur, vt* λευκίσκος
Athenæo, Ariſtoteli verò κεστρεύς. *Certum eſt, à capitis magnitudine
dici. Cur ergo Abſaloni? num ob illius capitis magnitudinẽ? Dum ponderaſſe
capillos capitis ſui ducentis ſiclis, dicit Scriptura: tantam cæſariem
paruum caput alere certè non poterat. An quod durus & pertinax,
in fratris odio permanſit, eiuſmodi autem qui ſunt, nos Cabecudos, quaſi* *Cabeſudos.*
*Capitones rectè dicimus? An quod conſilium illud, de patre regno pellendo,
nunquam mutauit? neq; vnquam à propoſito reuocari ſe paſſus eſt?
An quod magis ſuſpicor, pro Abſalom, Amnon legendum eſt? quod
multò magis quadrat, ob eius ardorem & libidinem, qua in ſororem pulcherrimã
exarſit. Nam de Capitone ita ſcribit Ælianus:* μάλιστα δὲ αὐτῶν
τὸ λυττῶδες &c. *Id eſt, Maximè Capitonum in res venereas libidinis fu* *Capitonis piſcis libido.*
*rorem captura teſtatur huiuſmodi. Cùm ex Capitonibus fœminam piſcator
venatus fuerit, alligaueritq; aut longa arundine, aut fune in littore,
mares qui hoc viderint, veluti adoleſcentes libidinoſi, formoſæ puellæ
prætereunti, cupidos oculos adijcientes, in eam feruntur, libidinis furore
agitati. Ille autem retia deijcit: & in ea quidem piſcium veneris deſiderio
accedentium magna copia incidit. Oportet autem initio venator curet, vt*

ret, vt fœmina captiua formoſa ſit, & bene corpulenta, vt plures ad eam accedant, pulchritudinis illecebra, taquam eſca illecti. eadem verò accenſus & inflammatus Amnon, ſororem ſtuprauit.

Polypus.
Aelianus.

Polypum Pharao) *Arctiſſimè enim complectitur ac retinet Polypus, quidquid brachijs nactus fuerit. Murana Polypo brachia abſcindit, dentium firmitate. hic rurſus locuſtas ſtrangulat, exugit earum carnes, & ſuccum exhaurit. Iam Pharao Iſraeliticum populum quàm arctè retinuerit, vt nullo pacto dimittere, vt illum laboribus conficere, & exhaurire conatus ſit, notiſſimum eſt ex Exodo.*

Locus emendatus.
Aelian. libro 9. cap. 14.
Plinius libro 9. cap. 42. & 51.
Lia, altera torpedo.
Geneſis 29.
Geneſis 29. & 30.

Torpitudinem Lia) *Torpedinem, non torpitudinem.* Torpedo *enim piſcis à re nomen habet. neq; tantùm qui piſcem, ſed qui rete etiam ipſum, quo capta torpedo fuerit, tetigerit: obtorpeſcit omnino. Occultat ſe limo, & cum piſcibus ſupernatantibus torporem induxerit, capit etiam & deuorat. tum fœtu locuples, & fœcunda. Lia ergo à patre Laban occultè ad Iacob inducta, callidè diſſimulauit, vt noctem totam pro Rachele haberetur, quaſiq; torpedinem viro attuliſſe dicenda eſt. tùm inter alias illius vxores magnam ſobolem habuit, vt eſt in Geneſis hiſtoria.*

χρυσόφρυς Aurata.
2 Regum 13.
Geneſis 38.

Auratam Thamar) *ab auri colore. atqui Thamar ſpecioſiſſimam fuiſſe diximus. Itaque & regiæ nobilitatis præſtantia, & pulchritudinis excellentia, auro non incommodè comparatur. niſi verò auream & regiam Dauidis prolem velit ſignificare, quæ ex Thamar, ex qua Iudas filium ſuſcepit, propagata eſt, vt eſt in libro Ruth. Sed puto ad ſororis Amnon pulchritudinem, & venuſtatem alluſum, vt ideo Auratam piſcem, id eſt, χρυσόφρυν (Valentinis Orada, nobis Dorada) tribuat. Nam venerem Anacreon purpuream, & auro ſimilem canit, imitatione nimirum Homeri (ait Ælianus) qui eandem nobis auream celebrat: & illa filium eodem colore venuſtat, apud Virgilium:*

Venus purpurea Anacr.
Aelianus lib. 4 de animal. ca. 2.
Venus aurea Homer.
1 Aeneid.

Cæſariem nato genitrix, lumenq; iuuentæ
Purpureum, & lætos oculis adflarat honores.

Solus Scarus ruminat.

Scarum Agar) *Solus inter piſces ruminare dicitur Scarus. nomē igitur piſcis Hebræo nomini, Ruminationem ſignificanti, accommodauit. eſt enim AGAR ruminare. Etiam ſubit animū, ancillam, cùm ſe vterum gerere vidiſſet, ſuperbiorem factam tripudio, & geſticulatione aliqua Dominam ludibrio habuiſſe. Ait enim Sara, ſe contemptam ab ancilla, quòd grauidam videret ſeſe, quod fortè voluit auctor, cùm Scarum illi*

tribuit

tribuit. Eſt enim σκαίρειν tripudiare. quin etiam animantia, quæ rumi-
nant tres ventres habere, ait Ælianus. At numeroſiſſimam prolem ha- Geneſis 21.
biturum Agar filium promiſit Deus. Itaq; cum duodecim illius filios,
magnarum familiarum principes Scriptura numeret, fortaſſè cum matri Geneſis 25.
Scarum tribuit, illud de tribus ventribus reſpexit. Sed hæ coniecturæ
ſunt.

Cantharidem Dauid) *Cantharidem piſcem non reperio. Plinius*
& Ælianus Canthari & Cithari meminerunt. Porrò de Vriæ cæde, Aelian. libro 1 capite 54.
propter amores Berſabe notum eſt. Turgent verò amore in fœminas (a- Canthari venerei.
it Ælian.) Canthari marini. quòd verò in amatores ſuarum coniugum
odium acerbũ habent, acerrimas pugnas edi videres. nec tamen illis mo- Aelian. lib. 1. de anim. ca. 26.
re ſargorum de multis certamen inſtituitur, ſed non aliter quàm Menela- Plin. libro 32. cap. vltimo.
us cum Paride, pro vna vxore decertant. Puto ergo pro Cantharidem,
Citharum vel Cantharum legendum eſſe, idq; referendum vel ad ea quæ
Ælianus affert, vel in nomine ipſo auctorem hærere, & Cantharum vel
Citharum dicere, quòd Dauid cantor fuit excellentiſſimus, citharæq; pul- 1 Regum 17.
ſator. Nam ita eſt apud Amos: Qui canitis ad vocem pſalterij, ſicut Da Amos 6.
uid, putauerunt ſe habere vaſa cantici.

Halecem Ioſeph) *Fœcundiſſima omnium piſcium halec eſſe vide-*
tur, ait Ariſt. Porrò halecis nomine omnis vilis piſciculus intelligitur, Ariſt. libro 6. de hiſto. anim. capite 17.
uel muria conditus, uel piſcium fex. Rurſus: Genus Apuæ, quod in por-
tu Athenienſium naſcitur Encraulos dictos progenerat. quin etiam genus Halec.
aliud Apuæ eſt, quod alecum & mugilum ſit fœtura. At ἀφύα piſcicu- Apua.
lus candidus: gracilis, magnis oculis. puto noſtras eſſe Anchouas. ἀφυαq;
quaſi non nata, quod ex pluuia, aquaq; fiat. At Ioſeph quaſi ortus, incre-
mentum, propagatio, dignitas, & auctoritas aquis fermè debetur, vt ex
aqua quaſi ortus dici poſſit. Poſtquam enim ſomnium illud de fluuio, ex
quo aſcendebant ſeptem boues explicauit, auctus & amplificatus eſt. Ideo Geneſis 41.
pater ramo ad fontem pullulanti illum comparabat. Nam quod legimus:
Filius accreſcens Ioſeph: Ramus creſcẽs ſuper fontem, ex Hebræo BEN PORATH Ioſeph.
PORAT interpretari poſſumus. Ita halec Ariſtoteli fœcundiſſima di- Geneſis 49.
citur.

Saxatilem Hieremias) *qui in cauernis petrarum viuunt, ſaxati-*
les piſces dicuntur, vt Scarus, Merula, Tudus, Iulis, Perca, Fuca. Eſt
autem apud Hieremiam in hanc ſententiam: Ecce ego mittam piſcatores

Hieremias 16. *multos, dicit Dominus, & piſcabunt eos. & poſthæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum. hoc vltimum Cauer. petr. non ad venatores tantùm, ſed ad piſcatores referri poteſt. Aquatilium enim plura (ait Ariſt.) ſaxis affixa vitam omnem traducunt, vt conchæ genera complura. Quin etiam ſpongia, ſenſum habere aliquem creditur, argumento, quòd multò difficilius abſtrahuntur, niſi clanculum agatur, vt referunt auulſores.*

Ariſt. lib. 1. de hiſt. ani. ca. 1.

Libro 4. cap. 8. *Rurſus: Complures piſcium in ſpeluncis latentes, quoties euocare captũ piſcator uoluit, fauces ſpecus odoribus illinunt cetarijs. Sed fortaßè quòd ſaxatilem dicit, ad illud referendum, quòd ſit vates ille lapidibus appetitus. Nam in eius libro legimus à Paſſur verberatum, in carcerem coniectum, poſtea productum.*

Σκιαῖνος; vmbra.

Vmbram Lazarus) Σκιαῖνος *Vmbra, Lato, & Coracino ſimilis, niſi quòd vmbra Coracino, vtroq; verò Latus maior exiſtit. Narbonenſibus Peis rey, id eſt, piſcis regius dicitur. vnde Valentini Reg. Scitè verò eiuſmodi piſcem Lazaro tribuit, quoniam ex tenebris & vmbra mortis reuocatus, iterum lucem vidit, iuxta illud: Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent. Porrò inter varia nomina, quibus Inferos appellant, Hebræi foueam, puteum, puteum corruptionis, puteum tumultus, ſilentium, perditionem, lutum fecis, vallem luctus, Gue-hynom, ſiue gehenam, etiam vmbram mortis, qui piſcis nunc Lazari eſt, numerant. Et quoniam ſcio, multis eſſe ignota, locos replicabo. de Fouea: Nõ relinques animã meã LISOL. Rurſus: In SEOL, quis confitebitur tibi? vbi quanquam ſenſum ſequutus, rectißimè Latinus dicat, in Inferno: tamen S E O L, quod infinitis locis apparet, Fouea eſt. de Puteo: Neq; vrgeat ſuper me Puteus os ſuum. Hinc antiquis Orcus (quanquam à iuramento dicitur Græcis) Vrgus, Vragus ab vrgendo. & Orcini ſenatores Suetonio, qui teſtamento Cæſaris, poſt eius mortem, Senatus ordinem aſſecuti fuerant. In quo viros doctißimos aberraſſe video, quos nil attinet nominare. Nam Plutarchus ſententiam noſtram confirmat, qui Senatores vocat χαρονίτας, quos ὀρκίνους, inquit, appellabant. Eſſe verò Orcinos, quos Charonitas, Theophilus oſtendit, qui eoſdem χαρονιανοὺς vocat. Sed Plutarchus doctus, Græcam inflectendi nominis rationem ſeruauit. Orcus verò, & Charon Græcis confunduntur. ſed ad rem. de Silentio: Neq; omnes qui deſcendunt in DVMAH, Silentium. de Perditione*

Sententia Hebræor. de varijs Inferni locis.

SEOL fouea. Pſal. 15. Pſal. 6. SEOL fouea. Pſalm. 48. 88. 89. Prouerb. 9. 27. 30. Iob 9. 10. Eſaiæ 5. Numeri 16. BOR puteus. Pſalmo 68. Vrgus, Orcus. Orcini Senatores Sueton. Auguſto. Plutarchus Antonio.

tione: *Angelus abyſsi, cui nomen Hebräicè* ABADON. *eſtq́ Abadon, perditor, vaſtator, exterminator, vel ipſum potius exitium, atq́ perditio. de Puteo, ſiue Lacu corruptionis : Tu verò deduces eos in* BOR SACHAT, *Puteum corruptionis. de Luto fecis, ſiue cænoſo : Educes me de lacu miſeriæ, & de* TIT IAVEN, *luto cæni. De Gehena ſæpè apud Ieremiam, & Matthæum: De vmbra mortis, quem piſcem comedit Lazarus, vel eum potius piſcis ille comedit: Sedentes in tenebris, & in* SAL MAVET: *Humiliaſti nos in loco afflictionis, & obtexit nos* SAL MAVET: *Si ambulauero in medio* SAL MAVET, *id eſt, vmbræ mortis. Reperio etiam Vallem luctus, Puteum tumultus, vel* SEON, *id eſt, mugitus. Quibus nominibus cenſent Hebræi Infernum, vel illius loci varias manſiones, & receptacula ſignificari. Siquidem in domo patris manſiones etiam multæ ſunt. Illud ſatis mirari non poſſum, videri Poëtam ſapientiſs. aliquas iſtarum rerum auditiones habuiſſe. Locos indicabo, ne videar iſtam, quæ ex collatione ſumma percipitur, voluptatem doctis inuidiſſe. Igitur de Valle luctus:*

ABADON perditio. Apocalip. 9.
BOR SACHAT Pſalmo 54.
TITIAVEN lutum cæni. Pſalmo 39. 64.
Gehena, Ierem. 7. 19. Matthæi 5. 10.
SALMAVET. vmbra mortis. Pſal. 105. 44.

Virgil: Aene. 6.

Veſtibulum ante ipſum, primiſq́ in faucibus Orci
Luctus, & altrices poſuere cubilia curæ.
Pallenteſq́ habitant morbi, triſtiſq́ ſenectus
Et metus. Rurſus:
Continuò auditæ voces, vagitus & ingens,
Infantumq́ animæ flentes, in limine primo. Iterum:
Nec procul hinc partem fuſi monſtrantur in omnem
Lugentes campi. ſic illos nomine dicunt. De Silentio:
Dij quibus imperium eſt animarum, vmbræq́ ſilentes,
Et Chaos, & Phlegeton, loca nocte ſilentia latè.
De Puteo tumultus, ſiue mugitus:
Hic omnis turba ad ripas effuſa ruebat. Et:
Æneas (miratus enim, motusq́ tumultu)
Dic ait ô virgo, quid vult concurſus ad amnem?
Quidue petunt animæ? vel quo diſcrimine ripas
Hæ linquunt, illæ remis vada liuida verrunt? Rurſus:
Hinc exaudiri gemitus, & ſæua ſonare
Verbera, tùm ſtridor ferri, tractæq́ catenæ.

De Luto cœni:

TIT IAVEN Lutum fecis, vel cœni.

Turbidus hic cœno, vaſtaq́ voragine gurges
Æſtuat, atq; omnem Cocyto eructat arenam: Rurſus:
Hic genus antiquum terræ, Titania pubes
Fulmine deiecti, fundo voluuntur in imo.

Quid propius dici potuit, etiamſi Hebræas literas didiciſſet? nam Titanes ait, in cænoſo luto volui. atqui Titanum nomen, quanquam Græcũ putant à τιταίνω, Extendo, quòd eorum corpora eſſent proceriſsima, vt iacentia per multa iugera extenderentur:

TITAN origine Hebræum à Tit Luto. Aeneid. 6.

Nec non & Tityon terræ omniparentis alumnum
Cernere erat, per tota nouem cui iugera corpus
Porrigitur: *verè tamen à TIT, quod eſt Lutum,*

Titan ductum eſt, quaſi Luti filius, & terræ progenies, id eſt, γηγενής, vt dicit Athenæus. Iam de Vmbra mortis ſi quis requirat:

SALMAVET vmbra mortis.

Vmbrarum hic locus eſt, ſomni, noctiſq́ ſopore.
Tum apud Cic. ille:

Cicero 5. Tuſc.

Adſum, atq; aduenio Acheronte vix via alta, atq; aſpera,
Saxis ſtructa aſperis pendentibus, maximis,
Vbi rigida conſtat craſſa caligo Inferûm.

Apparet ergò auctoris eruditio, qui in vocis vmbræ homonymia luſerit. vt in eo etiam quod ſequitur,

Solea. Heſych. voce ψῆττα. Lenquado. Bugloſſus.

Soleam Iuda) *Eſt Solea pedum calceamentum. Eſt & piſcis, qui vt Heſychius ſcribit, Sandalium dicitur. Bugloſſus etiam, quaſi bouis lingua, & nos Lenquado, Veneti Sfoya, Valentini mei Palaya. Quòd verò Iudæ Soleam tribuit: nefariam hominis reſpexit auaritiam, apud quem tantum triginta denarij potuerunt, vt viliſsimo precio venderet Redemptorem, Pactus grande nefas, parua mercede, vt neſcio quis Poëta dixit. Nam quòd precij vilitatem intelligat, cùm vocem Soleam, piſcem, & calceamentum ſignificantem, nominauit: ex Oſea eſt, qui illius venditionis precium, ſolearum ſiue calceorum precio comparauit his verbis: Super tribus ſceleribus Iuda, & ſuper quatuor non conuertam, quia vendiderunt iuſtum pro argento, & pauperem BANAGHALIM, id eſt, pro calceamentis. Eſſe verò NAGHALIM ſoleas quas dicimus, vel ex eo conſtat, quod ſi ſyllabas tranſmutemus (eſt hoc Sacris literis vſitatiſs. vt in Pſalmo, pro NABAL, LABAN. Daniele, pro*

Oſea 2. Chinelas Hebræam vocem eſſe exſtareq́; apud Oſeam. Pſalmo 9.

BEL, LEB

BEL, LEB. *Zacharia*, CHOBLIM, BOCHLIM) *ex Hebræa voce* NAGHALIM, *quam Propheta poſuit, nos ex Iudæorum commercio etiamnum ſoleas* GINELAS *vel* CHINELAS *appellamus.* HALMVTH LABEN. *Daniel* 4. BAL. *Zachar.* 11. *Choblin.*

Hirundinem Tobias) *Primùm de nomine. Hirundo piſcis, Græcis* χελιδών. *nobis Bolador. Valentinis Ratpenat, id eſt, Pennatus vel alatus mus, nempe Veſpertilio. Rondola, & Arondelle vocant Narbonen. & Maßilien. eiuſq; meminit Plin. Cæterùm opinor, ad auem notißimam alluſum. Cauſas dicam. Hirundini (ait Ariſt. & Ælian.) hoc à natura ſummum bonum tributum eſt, quòd ſi acu earum oculi punđi excæcentur, viſum recipiunt. Recipit etiam oculos Tobias, hirundinum ſtercore cæcatus. Matres verò pullorum oculis mederi Chelidonia herba (ſcribit Plin.) quæ hirundinum aduentu floret, diſceſſu marceſcit: ſic piſcis illius (qui fortaßè hirundo fuit, quamquam Hebræi Lucium fuiſſe dicant) felle, tanquam altera Chelidonia, filius videndi facultatē parenti reſtituit. Hirundo victoriarum nuntia aliquando exſtitit, quemadmodum & columba, alligatis collo literis: equidem piſcis, cuius interanea repoſuit adoleſcens, quidam veluti nuncius cenſendus eſt, qui victoriam illi contra dæmonum tot hominum perditorem denunciaret. taceo nunc hirundines in riparum cauis nidos ſuos conſtruere, etiam in fluminis ripa piſcem illum inuaſiſſe Tobiam.* *Hirundo.* *Plin. li. 33. ca. 7* *Ariſt. libro 6. de hiſt. ani, capite 5.* *Plinius libro 25 cap. 8.* *Plinius libro 10. cap. 4.* *Idem libro 10. capite 32. & li. 30. cap. 3.*

Argentillum Iudas) *Ad Iudæ auaritiam ſpectat, de quo antea: Vendiderunt iuſtum pro argento.*

Sepiam Herodes) *Venenatus Sepiæ morſus eſt (ait Ælian.) dentes autem ipſius validi latent. Eſt ergò piſcis doloſus, & fraudulentus. Rurſus: Cùm ſe à piſcatoribus captari cognoſcit: ſuum atramētum emittit. quo circumfuſa, piſcantium perſtringit oculos, vt cùm ſit in eorum oculus, non videant. Eiuſmodi erat Herodes, tectus homo & ſubdolus, ſimulator maximus. Eſt enim apud Matthæum, contriſtatum fuiſſe illū, cum puella peteret caput Ioannis, quaſi inuitus illud faceret. cùm paulò ſuperius ſcriptum ſit: voluiſſe quidem illum occidere, ſed populum timuiſſe. Itaq; quòd Sæpia facit, attramento quaſi effuſo, aſtantium oculos perſtringebat, ideo vulpem illum vocat Chriſtus.* *Aelian. libro 5. de anim. ca. 44* *Aelian. libro 1. de ani, cap. 34.* *Matthæi 14.* *Lucæ 13.*

Carnutam Eſau) *Cornutam, non Carnutam lego. Attollit cornua è mari ſeſquipedalia ferè Cornuta (ait Plinius) quæ ab his nomen traxit.* *Cornuta.* *Plinius lib. 9. cap. 27.*

xit. habet ſuperius labrum biſidum, vt furca agricultoria. hinc Romæ Forchato, vel Peſceforcha. Valentiæ Mal armat per antiphraſim. Et quoniam Eſau villoſus homo, rufus, agreſtis, hirtusq́; depingitur, & præterquam quòd ferina ſemper delectaretur, ferum animum & ferreum aduerſus fratrem gereret, vt quadringentos homines etiam armarit. inde Cornuta illi tribuitur, quaſi cornibus fratrem impeteret, & feriret.

Geneſis 25.
Geneſis 32. 33.

Glaucus.

Glauculum Ionas) *Glaucus, piſcis & piſcatoris nomen. Hic (aiunt) guſtata herba quadam, in mare repente proſiluit, marinusq́; Deus factus: At Ionas, cum vaſta illum, & immanis beſtia deglutiſſet, fuit in mari tribus diebus, totidem noctibus. Glaucum piſcem, diebus etiam ſexaginta latere ſcribunt Ariſt. & Plin. Cæterum de Glauco hæc Palæphatus: Vir erat, vrinatorq́; præ cæteris eximius, cui in locum quendam ei natare contigit, vt per aliquot dies viſus ab amicis non fuerit, iterum viſus, quærentibus vbinam locorum fuiſſet: in mari, falsò reſpondebat. qui poſtea cùm in marinam feram incidiſſet, ab ea conſumtus eſt, &c. Ionas verò, velut alter Glaucus, non vnam aliquam maris partem, ſed abditiſſima quæq; maris penetralia traiecit. hoc enim eſt quod ait: Proiecisti me in L E B I A M I M, id eſt, cor marium. Itaq; Ceto incluſus, mare Syriacum, Iſſicum ſinum, Ægeum, Helleſpontum, Propontidem, Boſphorum Thracium, Pontum Euxinum deniq; traiecit, ad cuius littus eiectum fuiſſe, ſcribit Ioſephus. Hinc fabula de Cephei regia ad Ioppe, & filia eius Andromeda Ceto obiecta, vt Strabo, Hegeſippus, Hyginus, Solinus, Mela, Ioſeph, Hieronymus prodiderunt.*

Ariſtot. de hiſt. ani. lib. 5. ca. 15
Plinius libro 9. capite 16.
Palæph. de allegor. fabul. ca. de Glauco marino.
Ionas Glaucus.
Cor maris quid?
Stra. lib. Geog. 16. Heges. lib. 3. capite 20. Hyg. fabul. cap. 64. Mela, lib. 1. ca. 11. Ioſep. libro 3 de bel. Iud. cap. 15. Hiero. Epit. Paulæ. Soli. po lihiſt. cap. 32.

Alopidam Iacob) *Piſces (inquit Ariſt.) qui vulpes nuncupantur, cùm ſe deglutiſſe hamum ſenſerint, longius ſe efferentes, hami lineam abrodunt. Neq; enim (ait Ælian.) minus marina vulpes, quàm terreſtris calliditate pollet. Has enim aſtutas, malicioſas, & callidas alio loco vocat. Itaq; Iacob callidè, & fraudulenter contra fratrem ſe geſſit: Venit (inquit pater) germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam. Tùm frater: Iuſtè vocatum eſt nomen eius Iacob, ſupplantauit enim me altera vice.*

Ariſtot. libro 1. de anim. cap. 1.
Aelian. libro 1. var. hiſt. cap. 5.
Plinius libro 9. cap. 43.

Salpa.
Plinius libro 9. capite 18.

Salpam Moleſſadon) *Obſcœnum piſcem vocat Plin. cauſam reddit Ariſt. his verbis: Non eiſdem eſcarum generibus omnes piſces capiuntur, ſed varijs. ſcilicet ſui agnitione odoris. quippe cùm vel fœtida nonnullis accommodentur, vt ſalpæ ſtercus. Porro Moleſſadon ſuperius diuina-*

us diuinabamus regem eſſe Sodomæ. at Sodomitici lacus tetrum odorẽ, & fætidum omnes ſciunt.

Denticem Eſaias) *Denticem dicit Gaza, qui Græcis συνάγρις, vbi grandior, συνόδους. Valentini Dental. Narbonen. Marmo. Cur verò Iſaiæ tribuat, fortaßè ex eo eſt, quòd populum ille coarguens, non morderet tantùm aut pungeret, ſed tantam in dicendo vim, & ſermonis aſperitatem adhiberet, vt gladio quaſi illos feriret, & transuerberaret. hæc enim ſunt illius verba: Audite inſulæ, & attendite populi de longè. Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei, poſuit os meum quaſi gladium acutum.* Libro 8. de hiſt. anim. cap. 2.

Araneum Tecla) *Araneum comediſſe dicitur, quòd crudeliſsimi tyranni veneno extincta ſit, cùm eculeos, flammas, tortores diuino præſidio fulta ſuperaſſet. At peſtiferum animal Araneus piſcis eſt, ſpinæ in dorſo aculeo noxius, & venenum lethale fundens.* Araneus.

Coracinum Noe) *Coracinus piſcis, quibuſdam coruulus. ſed malè, nam à κινεῖν τὰς κόρας, mouendis pupillis ita dictus eſt. quanquam à κόρω nigro appellatum velint. Noſtri Corp, Corban, Corball. Alluſum ad illud eſt: Aperiens Noe feneſtram arcæ, dimiſit coruum.* Coracinus. Geneſis 7.

Rubellionem Rebecca) *Hunc Romani Frangolino, vel Fragalino, nos verò Pagel vocamus. ἐρύθρινος, & ἐρυθρῖνον Græci. Cur Rebeccæ tribuat, cauſa alia nõ eſt, quàm nominis origo. à rubendo enim Rubellio. illa verò viſo marito erubuit. &: Deſcendit (ait Scriptura) de Camelo, & ait ad puerum: quis eſt ille homo, qui venit per agrum in occurſum nobis? dixitq́; ei: Ipſe eſt Dominus. & illa tollens cito pallium ſuum, operuit ſe.* Rubellio. Virginalis pudor.

Lacertum Golias) *Ob tergora & pectora, & lacertorum toros, ut eſt in Regibus. eſtq́; Lacertus, piſcis, & pars corporis.* 1 Regum 17.

Mænam Maria) *Nil de Mænis Ariſt. tantùm Plin. & Ælian. colorem eas mutare. Et verò piſces (aiunt) ex alio colore, in alium mutabiles ſunt, vt Turdi, Merulæ, Fucæ, Mænides. Rurſus: Mutant colorem candidæ hyeme Mænæ, & fiunt æſtate nigriores. Quid ergo coloris hæc mutatio ad Mariam ſororem Moſis? Certè. cùm Aaron, & Maria contra Moſem murmuraſſent, vel quòd vxorem duxiſſet Æthiopiſſam, vt Scripturæ ſacræ verba ſignificare videntur: nempe Ziporam Madianitem (eſt enim Madian propinqua Æthiopiæ, vnde Æthiopiſa dici potuit,* Aelian. lib. 12. de ani. capite 28. Numeri 12.

tuit, maximè cùm Madianitæ Aethiopes, vt quidam putant, dicantur in
1 Paralipom. 14 *Paralip.) vel non quòd accepiſſet, ſed quòd eam dereliquiſſet, vt magni viri prodiderunt, & ea quæ ſequuntur oſtendunt: Nùm per ſolum Mo-*
Numeri 12. *ſem loquitur Deus? Nonnè & nobis ſimiliter locutus eſt? qui ſcilicet con iugati viuimus. Idcirco lepra percuſſa fuit, veluti indigna diuino conſpectu, & ſermone. deinde ſeparata fuit à caſtris, vbi Deus habitabat: Quare (inquit) non timuiſtis detrahere ſeruo meo Moſi? Itaq; iratus contra eos, abijt, nubes quoq; receſſit. & ecce Maria apparuit candens lepra, quaſi nix. Poſtea verò breuiſſima illa, ſed ardentiſſima Moſis oratione,* EL NA REPHA NALAH. *Obſecro Deus, obſecro ſana eam.*
Oratio Moſi pro ſorore breuiſſima. *lepra fœdiſſima liberata, neceſſe fuit illius colorem mutari. Nam ſignum*
Numeri 12. *erat reſtitutæ ſalutis, cutis, capillorumq; nigredo. Ita reperies in Leui-*
Leuitici 13. *tico: Si ſteterit macula, & capilli nigri fuerint, nouerit hominem ſanatũ eſſe, & confidenter eum pronuntiet mundum. Hæc qui conſideret, & quæ de Mænis earumq; colorum mutatione legerit, neutiquam aberraturũ puto, qui Mænam idcirco Mariæ tributam dixerit. Quod de Samſone ſequitur, notum, dilacerauit enim Leonem. eſtq; Leo marinus.*

Poſuit Ionas acetum) *Dixi acetum ſpumas excitare, & quaſi iras colligere. Porrò de Ionæ iracundia ſuperius annotaui. Idem de Cain iudicandum. qui prior intinxiſſe dicitur, quòd primus hominum iræ perturbatione laborarit: Quare iratus es? & cur cecidit facies tua? De Mo-*
Geneſis 4. *leſſadon, & Abel, non eſt quòd repetam.*

Mel Ioannes) *propter locuſtas, & mel illud ſylueſtre. Neq; verò temerè ad conuiuium mel intulit. quippe antiqui primam ſitim mulſo ſedabant. itaq; vel confectum, principio cœnæ apponebatur, vel eius loco ſeparatim vinum, & mel, vt quiſq; pro arbitrio mulſum ſibi conficeret,*
Libro 3. antiqu. lect. *quod doctiſſimus Lipſius annotauit.*

Geneſis 18. Lac Abraham. Conſperſit Sara) *Tulit quoq; butyrum, & lac, & vitulum quem coxerat, & poſuit coram eis. Porrò Sara, lacte opinor, placentas, ciboſq; condiuit. Illa enim, quæ maritus diuinis hoſpitibus ex armento attulerat, ſedula apparabat, atq; hoc vocat conſpergere.*

Dulcia fecit IESVS) *Ideo Oxygarum, acetum, fel bibit, vt o-*
Eſaiæ 53. *mnia dulcoraret, quod factum eſt. Liuore enim eius ſanati ſumus. atque ita poſtulat naturæ ordo, vt ægrotante corpore, à capite ſumatur medici-*
Coloſſenſes 1. *na. Cumq; Chriſtus, vt ait Apoſtolus, caput ſit corporis Eccleſiæ, & my-*

ſtyci, quod corporis noſtri conformationi analogia quadam, ordineq́ reſpõdet, pro nobis omnibus debuit pharmacum, & potionem ſumere: & eam quidem amaram, & capiti ipſi inimicam. quod ille ſentiens, Pater (inquit) ſi poßibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Et quoniam, abſcißis corpore membris, atq; diuulſis, pharmacum prodeſſe non poteſt, propterea caput illud noſtrum, hoc ſolum exigebat (Ioan. 13. 17.) ut in charitate mutua, & ſecum vnum ſimus, quod vtinam depoſitis odijs, & contentione pugnandi, ij animaduerterent; qui Eccleſiæ Sacroſanctæ iugum, iampridem excuſſerunt.

Omnia perminiſtrauit Paulus) Miniſtrare ſeruorum eſt. & ipſe: Paulus (inquit) ſeruus IESV CHRISTI, nempe, omni genere ſeruitutis Deo obſtrictus. nam & eo modo ſeruiebat, quo omnia condita conditori, quo ſenſu dicitur: Omnia ſeruiunt tibi. Et velut à Domino pretio ſanguinis emptus, & è ſeruo peccati ſeruus effectus iuſtitiæ: vt liberati (inquit) à peccato iuſtitiæ ſeruiamus. Illa quoque ratione ſeruus, quòd miniſterium ſuum in Euangelio præbebat Domino. Item, ſicut qui bello capti, victoris ſerui efficiuntur: ſic Paulus hoſtis primò Chriſti, poſtea illius virtute ſuperatus, eius ipſius præda, & mancipium factus eſt. atq; hoc ille ait: Ego Paulus vinctus IESV CHRISTI. Sed hic de Euangelij miniſterio ait: Omnia perminiſtraſſe, quòd omnium Eccleſiarum illi impoſita ſollicitudo videretur, vt ſpiritalem illis cibum diuideret, & miniſtraret. Romanorum 1. Quomodo Paulus ſeruus. Genera ſeruitutis.

Quoniam aliquot genera vini habebant, Paſſum bibebat IESVS) Qui ſupplicio eſſent afficiendi, cùm ad crucem ducerentur, veriſimile eſt, ad doloris magnitudinem minuendam, pias aliquas matronas vinum protuliſſe: atq; eam fuiſſe Iudaici populi conſuetudinem, Salomõ videtur ſignificare illis verbis: Date ſiceram mœrentibus, & vinum his qui amaro ſunt animo, bibant & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui nõ recordẽtur amplius. nã pro eo quod latinus, ex LXX. ἐν λύπαις in mœroribus ſiue mœrentibus, dixit: LEOBED, quod eſt, morienti, vel pereunti, Salomon ſcripſit. Igitur cùm in eo ſaltem, Chriſti & eorum qui cum eo ſuſpenſi ſunt, par deberet eſſe conditio, efferati illi, qui omnem humanitatem exuiſſent, latronibus quidem vinum optimum bibere permiſerunt, Chriſto denegarunt, imo verò quod Chriſtus bibiturus erat, biberunt ipſi, nempe generoſum, & myrrha opinor, aromatibuſq́; conditum, Prouerbio. 31. Date ſiceram LEOBED quid ſit?

ditum,

ditum, Chriſto verò felle, acetoq; mixtum propinarunt. Adducor in
Amos 2. hanc ſententiam ex verbis Amos. nam poſt illa: Super tribus ſceleribus Iſrael, & ſuper quatuor non conuertam eum, pro eo quòd vendiderunt iuſtum pro argento, & pauperem pro calceamentis &c. quæ de Chriſto Redemptore noſtro dicta eſſe, vel ipſi Hebræi confitentur. cum alia ſcelera Iſraeliticæ domus vates commemoraſſet, quaſi reliquorum ſcelerum, ſummum flagitium & ſcelus ſubintulit: VEIAIN HANVSIM IISTHV BETH ELONEHEM. id eſt: Et vinum damnatorum bibent, domus Dei eorum. nam quod eſt in Latino: In domo Dei ſui, ex LXX. eſt, ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ θεοῦ αὐτῶν. Amos verò (quanquam hic commodiſſimus eſt ſenſus, vt, vinum illud multatitium, & ex innocentum calumnijs & iudiciorum corruptelis comparatum, iudices auariſſimi biberent) Amos (inquam) non: In domo, ſed domus poſuit, vt quæ eſt Sacrarum literarum fœcunditas, ex Hebræo poſſit etiam, hic ſenſus elici. Vinum damnatorum domum illam bibiſſe, vinum inquam Dei ſui. quod etiam apud Dauidem CHRISTVS, videtur exaggeraſſe, quaſi diceret: Cùm ad patibulum euntibus mœrore, ſitiq; confectis, non ſoleat malũ vi-
Threnorum 3. num propinari, at: In ſiti mea potauerunt me aceto. Item apud Ieremiam: Recordare (inquit) diem tranſgreſsionis meæ, abſynthij & fellis. vt eximiam illam, atq; infinitam, aduerſus nos omnes charitatem, ante oculos habeamus, qua extremas amoris lineas, ac terminos ipſe tranſgreſſus, tot & tanta ſuſtinuit, quanta ne cogitãdo quiſquam aſſequi poſſit. nam quod
HANII. Ieremias Tranſgreſſionem vocat (quanquam Hebrææ vocis HANII alia eſt ſignificatio) ſi bonus interpres ſum, hoc Euangeliſtæ Exceſſum di-
Luca 9. cunt. Dicebant (Moſes & Elias) exceſſum eius, quem completurus erat in Hieruſalem. Idcirco dicit: Paſſum bibebat CHRISTVS, illius mortem & paſſionem innuens. & cùm Paſſum dicit, fel dicit. alioqui Paſſum, ex vuis fiebat Apianis, diutius in vite, ſole aduſtis, aut feruente
Plinius lib. 14. cap. 6. oleo. quidã faciunt è quacunq; dulci (ait Plin.) ſiccantes ſole, donec paulò amplius dimidiũ pondus ſuperſit, tuſaſq; vuas leniter exprimunt. hoc Chriſtus non bibit.

Marſicum Ionas) Marſicúmne? an Maſicum? an potius Tharſicum? fugit enim in Tharſis, à facie Domini. Ea verò vrbs fuit Ciliciæ præclariſſima, quam & Terſon, Terſiam, Kraniam, Ieram, Antiochiam dictam ſcribit Stephan. quorum nominum cauſas, & origines per-

ſequi

ſequi non eſt huius inſtituti. quanquam aliam Tharſis nominis interpretationem eſſe ſcio, aſſertq́, Hieronym. mare ipſum Tharſis vocari. item lapidem precioſum, de quibus nos in Commentar. Canticor. vt Tharſicum bibiſſe dicatur, quòd maris tempeſtate & vorticibus illis ac voraginibus abſorptus ſit. Quòd ſi Maſicum placet: rectè. fuerunt enim Maſica vina in precio. Certant Maſica æquè (ait Plin. lib. 14. cap. 6.) ex monte Gaurano Puteolos, Baiasq́ proſpectantia. Si Marſicum: quadrat. non quòd in Italiam nauigarit Ionas, ſed quòd illud etiam celebret apud Athenæum Galenus: Marſicum (inquit) valde eſt auſterum, & confert ſtomacho. naſcitur in Campania circa Cumas. Neq́ verò ignoro Marſyam Phœniciæ vrbem, apud Stephanum, & Marſos gentem in Italia. Steph. Marſia.

Surrentinum Pharao) *Faciens grande conuiuium pueris ſuis, recordatus eſt inter epulas magiſtri pincernarum, & piſtorum principis, reſtituitq́ alterum in locum ſuum, vt porrigeret ei poculum. hæc in Geneſi. Cur autem ex Surrentino? quòd rex eſſet, & Surrentina principatum obtinuerint. Audi Plinium: Ad palmam venere Surrentina, in vineis tãtum naſcentia, conualeſcentib. maximè probata, propter tenuitatem, ſalubritatemq́. Tiberius Cæſar dicebat conſenſiſſe medicos, vt nobilitatem Surrentino darent. Athenæus: Surrentinum vigeſimo quinto anno incipit eſſe potui aptum, quia eſt pingue, & valde debile, ac vix digeritur: atq́ inueteraſcens, totum ferè eſt idoneum, illo continuè vtentibus.* Plinius libro 14 cap. 6. & 23. cap. 1. Athen. libro 1. dipnoſ. cap. 24.

Pellinum Adam) *Eſt Pella Macedoniæ, Theſſaliæ, Achaiæ, Cœles ſiue Cauæ Syriæ vrbs, à Pella conditore, ait Stephanus. Sed hic non de Pella, ſed de pellibus & pelliceis tunicis agitur. & Pellinum dixit, nominis ſimilitudine ludens, illudq́ reſpiciẽs: Fecit quoq́ Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas.* Geneſis 3.

Gaditanum Moyſes) *Oedipo hic opus eſt. Gades in Hiſpania sũt. quid ergo Moſi cum Gadibus? Porrò inter vina Hiſpanienſia nuſquam Gaditana Plinius, tantùm Lalatana, Balearica, Lauronenſia, Tarraconenſia nobilitari dicit. Noſtra verò, maiorumque noſtrorum memoria, Taurenſia, Madrigalia, Sanmartinienſia. Igitur diu cogitans, qua ratione Gaditanum Moſi tribuerit, aliud inuenire non potui, quàm nominis in eo ſpectatam ſimilitudinem, & quoniam Scriptura, vt quidam interpretantur, innuere videtur, Moſem in termino Gad fuiſſe ſepultum, ideo Gaditanum vinum illi tribui. verba enim Deuter. hæc ſunt: Benedictus* Deuteron. 33.

 in lati-

in latitudine Gad. quaſi leo requieuit, cæpitq́ brachium, & verticem. & vidit principatum ſuum, quòd in parte ſua doctor eſſet repoſitus, qui fuit cum principibus populi, & fecit iuſtitias Domini, & iudicium ſuum cũ Iſrael. Atqui alio loco in valle terræ Moab, contra Phogor ſepultum illum eſſe dicit his verbis: Mortuuſq́ eſt ibi Moſes ſeruus Domini in terra Moab, iubente Domino*, & ſepeliuit eum in valle terræ Moab contra Phogor. Rurſus: Aſcende in montem Abarim, in monte Nebo, & morere in monte.*

Deuter. 32. — Deuteron. 34.

Creticum Iſaac) *Non à Creta, ſed à Cretione Creticũ dixit. Eſtq́ Cretio Iureconſultis, hæreditatis aditio, & hæreditatem cernere, deliberandi tempus capere, & Cretionis nomen ab eo ductum, deliberandi ſpatium. Quod tùm fiebat, cùm ita hæres inſtitutus erat, vt dies præſcriberentur, intra quos vel agnoſcere hæreditatem, vel repudiare deberet, de quo fuſiùs in noſtris Spudaſmatis. & quoniam Iſaac inſtitutus eſt hæres à patre, vt eſt in Geneſi, ad ciuitatis nomen alludens, Creticum vinum bibiſſe fingit.*

Cretio.

Adrianum Aaron) *Adriana vina commendat Plinius. Prope Adriam (inquit Athen.) vinum eſſe ſcribit Agatharſides, quod cum omnibus comparatum eſt melius. Rurſus: Adrianum appellatum, ſomnum bonum gignit, facilè digeritur, & non iniucundum eſt omnino. Cur autem Aaroni pontifici tribuat, cauſam cogitare non poſſum, niſi ſingularem illius & præcellentem doctrinam, & diuinæ legis cognitionem, cuius ſymbolum vinum eſſe ſuperius diximus. Conſentit Moſes in benedictionibus, cum Aaronis tribui dicit: Perfectio tua, & doctrina viro ſancto tuo, quam probaſti in tentatione &c. quæ de Phinees dicta ſunt, ſi Ruperto viro grauiſſimo credimus.*

Plinius libro 14 capite 6. — Athen. libro 1. capite 26. — Ibidem capite vltimo. — Deuter. 33.

Arbuſtinum Zachæus) *Nobilia vina non niſi in arbuſtis gigni ſcribit Plin. & in his (ait) quoq́ laudatiora ſummis, ſicut vberiora imis, adeò excelſitate proficitur. Hac ratione & arbores eliguntur. Prima omnium vlmus. deinde populus nigra. non ſpernunt pleriq́ & fraxinũ, ficumq́, etiam oleam, ſi non ſit vmbroſa ramis. Quod ergo de ficu ait, facit ad hunc locum. Sycomorum enim, quam Zachæus conſcendit, (ideoq́ arbuſtinum vinum bibiſſe dicit) vtriuſq́ parentis nomen retinere, ficus ſcilicet, & mori, ex Dioſcoride dicebamus.*

Plinius libro 17. capite 23. — Sycomorus Dioſcor.

Arſinum Tecla) *Turdulorum, qui Luſitaniam & Tarraconenſem ac-*

ſem accolunt, oppida non ignobilia Arſan, Mellariam, Mirobricam recenſet Plin. & agnoſcit Stephan. ex Characis annalium decimo: Ἀρσα *(inquit)* πόλις ἰσπανίας, ὡς χάραξ ἐν δεκάτῃ χρονικῶν. *Sed cùm Arſam vino nobilitatam nondum legerim, veriſimile eſt, Arſinum propterea dixiſſe, quòd illa flammis obiecta non arſerit, idcirco ſuperius flammeam veſtem habere dixit.* Plinius libro 3. capite 1.

Albenſe Ioannes) *Albanum dicit Plin. ad tertiam palmam variè venere Albana, vrbi vicina, prædulcia, ac rara in auſtero. Steph.* οἶνος Ἀλβανὸς, ἡδύς καὶ καλός. *Neq; verò de vino hîc, ſed de ſyndone, quo cùm armatos milites fugeret, amictus erat ſuper nudo, vt ait Euangeliſta. Opinor itaq; locum illum Euangelij reſpiciens, ſimulq; illius vini celebritatem, ab albedine ſyndonis, Albenſe dixiſſe.* Plinius libro 14 cap. 6.

Campanum Abel) *ex Campaniæ Italiæ regione, non quòd Italicum ille vinum biberit, ſed quòd in campo, fratris inſidijs cæſus ſit: Dixitq; Cain ad Abel fratrē ſuum: egrediamur foras. cumq; eſſent in agro, conſurrexit Cain aduerſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum.* Geneſis 4.

Signinum Maria) *Puto Stephanum ex Plinio corrigendum. Signinam enim facit Italiæ vrbem, Plinius Signiam dicit. Quod naſcitur (inquit) Signiæ, auſteritate nimia continendæ vtile aluo, inter medicamina numeratur. fortè ad lepram attulit, qua miſerè illius caro fœdata eſt, & maculas illas lepræ notas, & ſigna dicit: Ecce (ait Aaron) iam medium carnis eius deuoratum eſt à lepra.* Signia.

Florentinum Rachel) *Ob ætatis florem, & incomparabilem pulchritudinem. Rachel (ait Scriptura) decora facie, & venuſto aſpectu. vel ob flores, quos Rachel à ſorore habuit. illud enim: Da mihi partem de Mandragoris filij tui; Hebræorum doctiſſimi, non Mandragoras, ſed Lilia interpretantur. & ita eandem vocem DVDAIM, quæ in Canticis poſita eſt, Lilia etiam, non Mandragoras volunt, quamquam latina translatio habet: Mandragoræ dederunt odorem. certè Lilia ſuauiſſimi odoris eſſe ſcimus.* DVDAIM Lilia eſſe.

Sopitus iacebat A[illegible]) *Rectè à quibuſdā exemplaribus abeſt illud: Saturatione vini. non enim ille vino, ſed ſomno, & ſopore immiſſo iacuit: Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam, cumq; obdormiſſet, tulit vnam de coſtis &c. Nunc verò, varias deſcribit hominum per-* Geneſis 2.

turbationes,quibus afficiuntur, dum hac cœna, id eſt, mundi huius delitijs ac voluptatibus perfruuntur.

Ebrius obdormiuit Noe) *Vinum,ſi non mortem (ait Philo) certè generat inſaniam. & quid vetat inſaniam mortem dicere? cuius acceſſu præcipua noſtri pars Mens interit. hinc artem parandi vini Priſci μαινομένην vocarunt, & occupatas hac, Bacchas, Mænadas. nam inſaniæ, deſipientiæq́; cauſa eſt, vinum immoderatè ſumptum, ac deniq; (vt Plinius ait) eſt rerum omnium obliuio, morsq́; memoriæ. Itaq; in Geneſi de Noe ſcriptum eſt: Bibenſq́; vinum inebriatus eſt.*

Philo. libro de plantat. Noe.

Geneſis 19.

Satis biberat Loth) *ex Geneſi: Dederantq́; etiam & illa nocte patri ſuo bibere vinum, ingreſſaq́; minor filia, dormiuit cũ eo, & nec tunc ſenſit, quando concubuerit, vel quando illa ſurrexit.*

Stertebat Holofernes) *ex Hiſtoria Iudith: Porrò Holofernes iacebat in lecto, nimia ebrietate ſopitus.*

Somnus tenebat Ionam) *Ionas deſcendit ad inferiora nauis, & dormiebat ſopore graui.*

Vigilauit prope gallum Petrus) *Notum ex Euangelio: Priuſquam gallus cantet, ter me negabis.*

Suſcitabatur IESVS) *Arbitrio quidem ſuo. Reuixit enim uirtute propria, quemadmodum teſtatus eſt ipſe, ſibi eſſe in manu, ponere animã ſuã, & eandẽ cum vellet recipere, ex quo ille, potiſsimum iudicatus eſt Deus. Etenim, quoad vixit inter homines, cumq́; his verſatus eſt, docendo & ſanando, & ſi filius eſt Dei, tamen filius hominis plerunq; & à cæteris vocatus eſt. poſt mortis verò, crucisq́; myſterium, cùm in præſtantiorem vitam ſurrexiſset, moxq́; in cœlum aſcendiſſet, toto vtriuſq; vitæ actu, & in ſe abſoluto, & nobis demonſtrato, humanis iam infirmitatibus in eo eliſis, diuinisq́; virtutibus retentis, Filius Dei deinde frequentiore vocabulo appellatus, & indicatus eſt. Itaq; ſuſcitabatur, quod prædixit Dauid: Surge quare obdormis Domine? Et: Surge gloria mea. Surge pſalterium & Cithara. Surgam diluculo. Item: Dormiui, & ſoporatus ſum, & exſurrexi, quoniam Dominus ſuſcepit me. Rurſum: Propter miſeriam inopum, & gemitũ pauperum, nunc exurgam dicit Dominus. Et: Reuerſus viuificaſti me, & de abyßo terræ iterum reduxiſti me. Itaq; ſuſcitabatur diluculo, vel ipſe potius diluculum & auroram excitabat. Ita enim ex Hebræo legimus: Suſcitabo auroram. pro eo quod Latinus: Surgam*

Chriſti virtus & diuinitas.

Filius hominis.

Pſalmo 43.
Pſalmo 11.
Pſalmo 29.

Surgam diluculo. quaſi dicat: Ego antelucatus ſum, & auroram anteuerti: non illa me dormientem in ſepulchro oppreßit. atq; hoc eſt quod alibi Propheta dixit: Ad veſperam demorabitur fletus, & ad matutinum cantus. Quis enim Apoſtolorum triſtitiam, & mærorem ignorat, quæ reſurgente CHRISTO, in ſummam lætitiam conuerſa eſt.

Pſalm. 30.

Surgere quærebat Iacob) *ex illo: Surgens ergo Iacob mane, tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo.*

Geneſis 28.

Prior ſurrexit Lazarus) *Rectè, πρόδρομος, atq; præcurſor eorum, qui cum CHRISTO ad vitam reuocati ſunt. Monumenta enim aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum ſurrexerunt, ingreßiq; ſunt in ſanctam ciuitatem. At Lazarus prior illis ad vitam rediјt, quaſiq; præcurrit. cuius admirabilem excitationem, Iob & Iſaias videntur ante oculos habuiſſe. ille: Ingreſſus es mare, & ambulaſti in veſtigijs abyßi. aperientur tibi cum terrore portæ mortis. hic verò: Cuſtodes portæ inferni te videntes exhorruerunt. Videtur mihi (ait Cæſarius) ipſam quoq; mortem quodam modo commoueri, ad velocißimam illam Lazari excitationem. nam cuius ſudario caput obligatum, facies linteo tecta, pedes vinculis ſepulcralibus constricti, iam per caluariam cernentis, ore diducto corrupti, lingua, oculisq; diſſluentis viderunt, quo pacto eius anima per vocem eminus attracta in corpus illud, quod reliquerat, immigraret, & quo modo conuolutis pedibus exiliens, ſepulcro egreſſus eſſet, dum illaſus, & nulla corporis parte mutilatus cernitur? ne quandò per cunctationem altera CHRISTI voce audita, mox uniuerſos apud ſe degentes ſoluere cogeretur. quale quiddam poſt ſex dies accidit infelici, cùm is, qui ad reuiuiſcendum vocat mortuos, ad mortem accederet, vt Iob clamat & Iſaias, & Dauid: Pſallite eius nomini, qui ingreditur ad occaſum, id eſt, naturam noſtram, & ærumnoſam huius mundi regionem, quæ vitiorum voluptatibus obumbratur. vel intelligi poteſt Orcus, vt in Iob, & Iſaia. Quod in quibuſdam manuſcrip. eſt. Prior ſurrexit Laban. Rectè etiam. Eſt enim in Geneſi: Laban verò de nocte conſurgens &c.*

Lazarus reſurgentiũ πρόδρομος.

Porta mortis.

Cæſarius frater Nazianz. in dialog. obſcurar. quæſtion. ex verſione doctiß. Le Vencleij.

Natura noſtra occaſus.

Geneſis 31.

Miſcuit ſcyphum Beniamin) *Occaſionem ſumit ex Geneſi, quòd inuentus fuerit Scyphus in eius ſacco.*

Geneſis 44.

Intulit Martha) *Satagebat enim circa frequens miniſterium. Soror mea reliquit me ſolam miniſtrare.*

Prior bibit Petrus) *Fortaßè ad illud referendum eſt, quod eſt in*

Actorum 2. *Actis Apoſtol. cùm Apoſtoli varijs loquerentur linguis, dicebantur muſto eſſe pleni. At Petrus ſurgens ait: Viri Iſraelitæ, non ſunt hi temulenti, vt cogitatis, eſt enim hora diei tertia, &c. & quoniã prior ſurrexit cauſam dicturus, prior bibiſſe dicitur.*

Sed quoniam vinum ſubduxerat Amelſad) *Dum hac cœna fruimur, & mundi huius voluptatibus indulgemus, varios ſæpè caſus, & rerum viciſſitudines contingere neceſſe eſt. cuiuſmodi multa enumerat. Amelſad verò vinum ſubducit, ex eo, quod antea diximus apud* Danielis 1. *Danielem: Tenta nos obſecro ſeruos tuos &c.*

Malè miſcuerat Ionas) *Imo quia nil omnino miſcuit, malè miſcuiſſe dicitur. nihil autem miſcuiſſe dicitur, quoniam cibum potumq́; hominibus & iumentis ſubtraxit. Ita enim ad illius prædicationem exclamauit Rex: Homines, & iumenta, & boues, & pecora nõ guſtent quidquam, neq; paſcantur, & aquam non bibant.* Ionæ 3.

Aquam bibebat Ioannes) *Superius dixi: Venit Ioannes, neque manducans, neq; bibens, quòd neq; vino, neq; carnibus vteretur, ſed aqua tantum, & melle ſylueſtri.* Epiphan.

Vinum petebat Maria) *In nuptijs Chanæ Galileæ: Vinum non habent. cum reſponſum eſt à CHRISTO: Quid mihi & tibi mulier? Cur autem mulierem appellarit, copioſe dixi in Spudaſmatis.*

Danielis 13. Non conſentiebat Suſanna) *Senibus illis laſciuis, cum dicerent: Aſſentire nobis, & commiſcere nobiſcum.*

Geneſis 21. Sitiebat Iſmael) *ex Geneſi: Cumq́; conſumta eſſet aqua in vtre, abiecit puerum ſubter vnam arborem quæ ibi erat, & abijt, ſeditq́; è regione procul, quantum poteſt arcus iacere. dixit enim: Non videbo morientem puerum.*

Ire volebat Tobias) *Paratisq́; omnibus, quæ erant in via portanda, fecit Tobias vale patri ſuo, & matri ſuæ.* Tobiæ 4.

Bibere volebat Iacobus) *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum. Sed hæc, cum his quæ ſequuntur notiora ſunt, quã vt explicatione vlla indigeant. nam quòd aquam petat Pilatus, notus eſt ex Euangelio locus: Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius, cum manus lauiſſet: & hic Iudæorum mos, crebris ad menſam lotionibus vti. & Homerus, Vlyſſẽ manus lauantẽ inducit, priuſquã cibũ capiat, vt ait Athenæ.*

Sic fa-

Sic fatur, ſeruamq́; ſenex capere imperat vndam, *Homer: Ilia 6*
Inq́; manus liquidam diffundere, conſtitit illa,
In manibus peluimq́; tenens, gutturnium & ipſum. Rurſus:
Inq́; manus Lympham præcones fundere primum
Ac ſeruæ panem niueis geſſere caniſtris.

Intulit lucernam Eſaias) *ex illo: Dedi te in fœdus populi in lucem gentium. Rurſus: Ecce dedi te in lucem gentium. faces verò, & funalia locum habent in conuiuijs.* *Eſaia 42.* *Eſaia 49.*

Gratias egit Simeon) *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine &c.*

Benedixit Anna) *Raguelis vxor, quæ filio ait: Dominus cœli det tibi gaudium &c. Tum: Raguel, & Anna vxor eius Dominum benedixerunt. Poteſt & ad Samuelis matrem referri: Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum eſt cor meum in Deo meo, &c. quæ in Cantico illo celeberrimo dicuntur. Erat verò moris poſt cœnam gratias Deo agere.* *Tobia 7.* *1 Regum 2.*

Intulit coronas Rachel) *Ex more veteri, quo pocula in ſecundis menſis coronari ſolebant. Virgil:* *Coronar vſus in conuiuijs.*

Crateras magnos ſtatuunt, & vina coronant. Rurſus:
Tum pater Anchiſes magnum cratera corona
Induit, impleuitq́; mero. Tibullus:
Tunc operata Deo pubes diſcumbet in herba
Arboris antiquæ, qua leuis vmbra cadit.
Aut è veſte ſua tendet vmbracula, ſertis
Vincta, coronatus ſtabit & ipſe calix. Athenæus.

Prior verò ingreſſus & coronarum, & vnguentorum introductus eſt in Sympoſia dux ſecundæ menſæ Cytilus, vt teſtatur Nicoſtratus his verbis: Tu decentem valde ſecundam menſam facito, ipſam multiplicibus ornato bellarijs. vnguentum coronas, thus, tibicinam accipe. Itaq; varijs floribus odoriferis, & capita, & ipſas pateras coronabant, vnguenta etiam adhibebant, vt odore qui afflaretur ex floribus, reficerentur. Quòd verò coronas inferat Rachel, vel ad id referendum, quod antea diximus, Mandragoras quoſdam Lilia exiſtimare: vel ad illius laudem dictum eſt, quòd marito ſemper morigera, & obſequens fuit, cuiusmodi fœminas coronas viri vocat ſcriptura. Mulier (inquit) diligens corona eſt viro ſuo, & putredo in oſsibus, quæ confuſione res dignas gerit. *Athen. libro 15 Diphno. Soph. capite 12. & lib. 9 cap. 13.* *Prouerb. 12.*

Dauid hyſſopum porrexit) *Quaſi liquore aliquo odorato conuiuas aſperſurus, quod hodie facimus. aſperſionibus verò aptiß. hyſſopum dixi, ob cauliculorum copiam, & ſpißitudinem.*

Athen. libro 15 Dipnoſ. cap. 18.

Cur vnguentis vſi ſint in conuiuijs.

Dedit vngentum Martha) *Cur caput vngerent inter pocula, occaſionem ex eo ortam ait apud Athen. Myronides, quia quod ſumptum fuerat ab ijs, quorum caput eſt aridum, ſuperius fertur atq; attrahitur. Idcirco accidit, vt cum febres corpora adurant, capitis tempora humectent, ne adhuc ad ſiccum, ac vacuum impetum ſuum intendant ſumpta fercula. Hoc cùm raciotinarentur, viniq; lationem ad ſuperiora in potu pertimeſcerent, caput pingui aliquo perungĩ oportere dixerunt, quia minor impetus caput ipſum inuaderet, ſi id humectaſſent.* (*Ibidem.*) *Tum ex Poßidonio refert in Syria, in conuiuijs regijs, vbi coronæ datæ fuerant conuiuis, quidam Babyloniorum vnguentorum paruos vtres habentes ingrediuntur, atq; circumeuntes, coronas accumbentium conſpergunt, ac irrorant vnguentis. Fuiſſe ergo eandem populi Hebræi conſuetudinem oſtendit Chriſtus apud Simonem: Oleum (inquit) capitĩ meo non dediſti, hæc autem vnxit pedes meos. Oleum enim vnguentum vocat, ob aquoſam illam pinguedinem, & ita paulò ante. Alabaſtrum non olei, ſed vnguenti dicitur, quo Maria pedes Domini, corpusq; perunxit.*

Iudæos vnguentis etiam in conuiuijs vſos.

Poma intulit Adam) *Aperta hæc ſunt, quæ ſequuntur. Hoc enim ex Geneſi eſt:* (*Geneſis 3.*) *Tulit de fructu ligni, quod erat in medio paradiſi. De Fauo, ex Iudicibus:* (*Iud. 14.*) *Examen apum, & fauum mellis inuenit in ore leonis. De Cythara Dauidis, ex Regibus conſtat,* (*1 Regum 16.*) *fuiſſe illum Muſicæ peritißimum. adhibitos autem ad cõuiuia muſicos, aulædos, cytharædos, ſymphoniacos nemo ignorat.* (*Athen. libro 14 Dipnoſ. cap. 5. 6. 7. 8.*) *& Themiſtocles quòd in conuiuio lyram recuſaſſet, habitus eſt indoctior, vt eſt apud Cicer.* (*Cic. de Senect.*) *Tympanum Mariæ, ex Exodo: Sumpſit ergo Maria prophetiſſa ſoror Aaron tympanum in manu ſua. vt Pſalterium Iubal, ex Geneſi:* (*Geneſ. 4.*) *Fuit pater canentium Cythara, & organo.*

Choreas duxit Iudith) *Ad conuiuij hilaritatem ſaltationes adhibitas conſtat ex Athenæo. & quoniam obtruncato Holopherne, & conſecuta victoria:* (*Iudith 13.*) *Populi (ait Scriptura) gaudebant cum mulieribus & virginibus, & iuuenibus, in organis & cytharis.* (*Iudith 15.*) *Rurſus: Per tres menſes gaudium cum Iudith celebratum dicitur, ideo illa choreas ducit.*

Cantauit

Cantauit Aſael) *Aſarel, non Aſael, legendum puto. Is enim inter cantores à Dauid conſtitutos numeratur in Paralip.* 1 *Paralip.* 25.

Saltauit Erodias) *Herodiadis filia, quæ caput petijt Ioannis Baptiſtæ.*

Laudes dedit Azarias) *Tobiæ comes. Benedicite (ait) Deum cœli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei, &c. At in conuiuijs laudes, & magnorum virorum encomia locum habent. ac de carminibus conuiualibus copioſè Athæn.* *Cithara in conuiuijs.* *Athen. libro* 15. *capite* 21.

Cythara crinitus Iopas *Virgil.*

Perſonat aurata, docuit quæ maximus Atlas.

Magia luſit Mambres) *Vnus è Pharaonis magis, vt eſt in Hebræorum monumentis. Ludere magia dicitur, quaſi præſtigijs, & deluſionibus quibuſdam conuiuas oblectaturus, vt quod Athæneus refert de Eraſiſthene, qui ignem ſponte ſua naſci faciebat, & machinationes inuenerat, quibus omnes faciebat deſipere.* *Athen. libro* 15. *capite* 8.

Riſum fecit Iſaac) *Sic ait Sara: Riſum fecit mihi Deus. quicunq; audierit corridebit mihi. quin & ipſa riſit, & pater riſit, cum audiret filium ſibi illa ætate naſciturum, & puero nomen à riſu. nam ISAC idem eſt, quod Ridebit. tertia enim eſt Futuri temporis perſona, vt illa Patriarcharum nomina: Iared, Iabel, Iubal, Iapheth, Iſacar, Iacob, Iababez, verba Futuri ſunt. Deſcendet, Flebit, Fluet, Dilatabit, Retribuet, Supplantabit, Dolebit. De Iuda notum eſt: Oſculo tradis filium hominis.* *Geneſis* 21. *Geneſis* 18. 1 *Paralip.* 4.

Vale fecit Iothor) *Moſis ſocer, de quo: Dimiſit eum Moyſes, & reuerſus abijt in terram ſuam.*

Et cum vellent diſcedere, reſpiciens eos Rex, ait: Nunc per omnia diem nuptiarum celebrate, & frequẽtate, & demutate habitus, velut pompas facientes, ſic ite in domos veſtras) *Cum homo ſic formandus eſſet à Deo, vt mortalis eſſet aliquando, res ipſa exigebat ut terreno & fragili corpore fingeretur. Neceſſe eſt igitur, vt mortem recipiat, quando libet, quoniam corporalis eſt. corpus enim quodlibet ſolubile, atq; mortale eſt. Solutionem ergo ac diſceſſum è vita, cœnæ exitum vocat, quo quiſq; ad propria reuerſurus eſt. Eſt autem hic locus, cœleſtis patria, quam ita oculis noſtris & mentibus ingerit, atq; offert Deus,*

 vt vide-

vt videatur vix ſpacium dare nobis velle, aliorſum verſum curas, & cogitationes noſtras conuertendi. Hanc nobis ſedem fortunarum omniũ noſtrarum, hoc regnum proprium atq; perpetuum promittit Chriſtus, quò nobis iter, atq; aditum, non hoſtium equitatus, quamuis innumerabilis, nõ inſidiæ vllæ, non aperta aliqua vis poteſt intercludere. Vt enim in libertate dici ſolet, neminem poſſe amittere libertatem, niſi qui ipſe auctor factus ſit: ſic regnum cæleſte, nemini poteſt eripi, qui non ipſe ſit ſuæ tantæ iacturæ, calamitatiq; aſſenſus.

Reſpiciens eos Rex) *Regis nutum expectant. Etenim ex hac vita diſcedere ſine Regis voluntate, licet nemini. Vetatq; Pythagoras, ſine iuſſu Imperatoris ſtationem relinquere. Nam cùm diuinis literis proditum ſit, vitam hominis eſſe militiam, quemadmodum ſine iuſſu Imperatoris, militi ſtationem deſerere, ſic neq; ex hac vita diſcedere licet, antequam princeps Deus ſignum dederit. Quod autem dicit: Diem nuptiarum celebrent, hoc dicit, vt gratias agant opifici, & genitori ſuo, qui iſtam cœnam apparauit, eiſq; lucis huius vſuram conceßit. & ad cognitionem cæleſtem, ſummamq; tantæ felicitatis gloriam acquirendam excitauit, quæ maximè in amore cæleſtium deſpicientiaq; terrenarum rerũ conſiſtit. quod ſi præſtiterint, debitumq; officium expleuerint, id eſt, dum hic ſunt, iucundißima expectatione & ſpe, illiusq; diuinæ vitæ, ſi piè, innocenter, chriſtianeq; vixerint, ſimilitudine, recto itinere, in illud cæleſte domicilium deducendos, vbi re quoq; ipſa, & propria cæli poßeßione, cum ille extremus dies aduenerit, quem pleriq; fruſtra pertimeſcunt: qui debe rent potius optare atq; depoſcere, ut huius ærumnoſæ & calamitoſæ vitæ ſpatio decurſo pacatißima illa & beatißima vita perfruantur. quod cùm accidet, Corruptibile hoc (quod Paulus ait) induet incorruptionem, & mortale immortalitatem. atq; hoc dicit: Demutate habitus. tum enim aliam veluti naturam adepti erunt homines tanquam Angeli Dei, ciueſq; cæleſtes, vel, quod auertat vnigenitus Dei filius, deteriore conditione exiſtentes, ad loca illa dæmonum caliginoſa miſerrimi deturbabuntur. Atq; hoc eſt quod addit: Velut pompas facientes, ſic ite in domos veſtras, ſignificans animorum reditum ad propria domicilia, cum pompa & apparatu, id eſt, ea ſorte, conditione & habitu, quē ſibi quiſq; elegerit, atq; quæſierit. Ideoq; in Allegoria perſiſtens multos inducit, diuerſis veſtibus indutos,*

dutos,cuiuſmodi ornatus,id eſt,animorum qualitates, vitia atq; virtutes, ex Sacris literis colligi poſſunt.

Placuit verò omnibus voluntas Regis) *Iure optimo diuina voluntas omnibus placere debet. atq; hoc ſignificat Dauid: Aperis tu manum tuam, VMASBIAH LECOL CHAI RASSON, & exſaturas omnia viuentia voluntate. quod Latinus interpres dixit: & imples omne animal benedictione. Quæ ſequuntur,ex ſuperioribus aperta ſunt. Eadem fermè repetuntur. Itaq; de Chriſti magiſterio: Vos vocatis me ma-* In Magiſtro.
giſtrum, & dominum, & bene dicitis, quia ſum. de Ioanne: Accepit eam diſcipulus in ſuam, ideo Cuſtos dicitur. Petrus verò piſcator reficie- In Cuſtode.
bat retia. Pharao ſecutor, quia Iſraelitas perſecutus eſt. Mambres verò In retiario.
præſtigijs & incantationibus faſcinabat, & dementabat homines. atq; hoc In ſecutore.
venari vocat. quodq; alia exemplaria habent: In venatore Nemroth: In venatore.
apertius ex Geneſi, inſignem illum fuiſſe venatorem. Hortulanus Adam In Hortulano.
ex illo: Poſuit eum Dominus in paradiſum voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illam. Eua verò citò de paradiſo cum viro pulſa, eo habitu fin- In Exodiorio.
gitur, qui expeditè proficiſcenti conueniat. eſtq; ἔξοδος profectio, vnde Exodiarium nouè dixit. Cain Siccarij, & latronis habitu, quòd fratrem In latrone.
occiderit. Abel veò paſtor ouium fuit. Iacob fugiens fratrem, Curſor di- In Paſtore.
citur. De Zacharia filio Ioiadæ, item de Iubal dixi, & Antiocho. quemad- 2 Paralip. 24.
modum enim ſuperius dixerat: In focum impoſuit Antiochus, idem nunc Geneſis 4.
ait: In coco, quòd Hieruſalem igne ſuccendit. Rebeccam verò in aqua- 1 Machab. 1.
rio, ob hydriam quam geſtabat. Ananias fumitoris habitu, videtur ex Geneſis 24.
Danielis ſocijs, qui in ignem ardentis fornacis miſſus eſt.

In beſtiario Tecla) *Beſtiarium vocat, quam Latini ſcriptores Ca-* Beſtiariū cauea.
ueam dicunt, locum vbi feræ, ad ſpectacula includebantur, quod propterea dicit, quòd Tecla inter immanes feras ſine vllo timore fuit. Pulchrè Am- Ambroſ. libro 2.
broſius. Apud nos puellæ, de mortis appetentia ſublimes vſq; ad cælum Epiſt. ad ſimplic. epiſt. 7.
erexere virtutum gradus. quid Teclam, quid Agnem, quid Pelagiam loquar? quæ tanquam nobilia vitulamina pullulantes ad mortem quaſi ad immortalitatem feſtinauerunt? Inter leones virgo exultauit, & prodeuntes beſtias expectauit intrepida.

In ſtupido Moleſſadon) *Superius meam attuli coniecturam.* Meleſſadon, pro
quòd ſi Moleſſadon Rex eſt Sodomæ, ſtupor ad cædem, & ſtragem factā Melech ſedom.
ab Abraham referenda eſt.

Salomon religioſus.
3 Regum 8.

In religioſo Salomon) *In Regum Hiſtoria, de eius religione multa. de templo ædificato, votis perſolutis, effuſis precibus, multis denique victimarum millibus cæſis.* *De Martha, Vria, & Herode amoris rabie inſaniente, ſuperfluum eſt dicere.*

Geneſis 9.
Cur peccante patre, maledicitur filius.
Hebræorũ traditio.
Cur Cham pater dicatur Chanaã, cum alios habuerit filios?

In ſamulo Cham) *Eius enim filius Chanaam ſeruituti addicitur. Maledictus Chanaam, ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis. Sed cur, peccante Cham, filio maledicit? Libet quæ in Hebræorum legi monumentis, adſcribere. Cùm alios (inquiunt) filios haberet Cham, ſolius Chanaam meminit, quòd is eſſet patri ſimilis, hoc enim eſt, quod ait Scriptura: Cham ipſe eſt pater Chanaam. quid non aliorum? Certè. ſed hoc dicit. Genere omnes erant filij Noe, ſolus autem iſte moribus non erat filius, ſed ſui ſimilis filij, pater. Primum enim Chanaam, aui vidiſſe verenda, patri nunciaſſe, auum ſenem irriſui & ludibrio habuiſſe. quòd ſi Cham pietate ſimilis fratrum extitiſſet: non acceſſiſſet propudium hominis ſpectaturus, imo filium qui viderat, & nunciarat, obiurgaſſet. verùm à filio admonitus, accedit, videt, fratribus renunciat. Huic traditioni videtur Scriptura fauere, cum ait: Cognouit quæ fecerat filius ſuus iunior. Num Cham? at is iunior non eſt, ſed ſecundus. quòd ſi natu minimum intelligeret, Iapheth nominaſſet. Nepotem ergo filium vocat iuniorem. Aui enim non modo nepotes, ſed & qui ab illis naſcuntur, filios appellare conſueuerunt. Chanaam ergo nepotum minimum dicit Scriptura, ab auo vt ſceleris auctorem cognitũ. alioqui enim, cur illi malediceret? Mitto, quæ Beroſus, & R. Simeon hoc loco dicunt. Cham magicarum artium ſtudioſiſſimum patrem veneficijs & incantatione ligauiſſe, ne amplius generaret, quò filium Chanaam, quòd ad magica animum appelleret, docilemq́ ſe præberet, ſibi chariſſ. cæteris præferret. neque enim ſine ratione, cum Cham alios haberet filios, ait Scriptura: Cham ipſe eſt pater Chanaam. Cuius cauſa, cum talia perpetraret pater, auus illi maledicit, quaſi dicat: Cham pater tuus, cæteris immeritò præferre te, & anteponere laborat, idcirco neq́ eadem qua cæteri conditione futurus es, ſed ſeruus ſeruorum eris fratrum tuorum. Quæ de Tobia, Noe, Iſaac, Iob, Daniele dicuntur, ex ſuperioribus petenda.*

Geneſis loc9 explicatus.
Nepos, filius vocatur.
Beroſ. in Deplorat. Chald. R. Sym. Com. Gen.

Geneſis 47.

In ſabro Ioſeph) *Conſtruxit enim patri monumentum. ita enim præcepit: Dormiam cum patribus meis, & auferas me de terra hac, condasq́*

daſq́; in ſepulchro maiorum meorum. Ibidem verò dicitur, hoc patris præceptum impleuiſſe.

In proſtituta Thamar) *Iudas enim meretricem ſuſpicatus eſt.* Geneſis 38.

In formoſa Rachel) *Decora facie, venuſto aſpectu.* Geneſis 29.

In odibili Lia) *Videns autem Deus, quòd (Iacob) deſpiceret Liam, aperuit vuluam eius &c.* Ibidem.

In Domina Maria) *Sumpſit ergo Maria prophetiſſa ſoror Aaron tympanum in manu ſua, egreſſæq́; ſunt omnes mulieres poſt eam.* Exodi 15.

In impio Loth) *Loth verò moratus eſt in oppidis, quæ erant circa Iordanem, & habitauit in Sodomis. homines autem Sodomitæ peſſimi erant. Ergo in impio, phraſi Hebraica dictum eſt, quòd inter impios habitans, eorum moribus præditus iudicari poterat.* Geneſis 13.

In aduerſario Amalech) *Fecit Ioſue, vt locutus erat Moyſes, & pugnauit contra Amalech. Rurſus: Delebo memoriam Amalech de ſub cælo. Et: Manus ſolij Domini, & bellum Domini erit contra Amalech, à generatione in generationem. quorum arcanum ſenſum alio loco perſequor.* Exodi 17. Ibidem.

In ſtructore Sem) *Qui præeſt conuiuio, quem Latini Magiſtrum, Arbitrum, Modimperatorem, Dictatorem: Sacræ literæ, Architriclinū dicunt, nunc Structorem vocat, propterea quòd veriſimile eſt, ipſum cū patre, de quo ſcriptum eſt: Diſtribuit omnibus Noe (nempe dum eſſent in archa) cibaria; & alimenta tot animantibus diſtribuiſſe, & quaſi menſam inſtruxiſſe. quòd ſi ſtructorem, pro fabro & ædificatore dicit: fortè ad Babylonicæ turris ſtructuram alluſit, quo tempre Sem natu maior, & dignitate præſtantior ſuperſtes erat. Et enim de filijs Noe eſt in Geneſi: Tres iſti filij ſunt Noe, & ab his diſperſa eſt vniuerſa terra. quanquam enim Latinus interpres dicat: Ab his diſſeminatum eſt vniuerſum genus hominum: tamen in Hebræo eſt, NAFESSA COL HAARESS. Diſperſa eſt omnis terra. idemq́; verbum hoc loco poſitum eſt, quod in illo Pſalmi: Tanquam vas figuli TENAFECEM, confringes, conteres, comminues eos, vt videatur ad diſperſionem, quæ ex turris ædificatione contigit reſpexiſſe. Ex Iaphet enim Cyprij, Cilices, Æolides, Phryges, Paphlagones, Germani, Thraces, Cappadoces, Iberi, Iones, Medi, Scythæ, Galatæ. Ex Sem & Cham, Æthiopes, Ægyptij, Lybij, Chananæi, Sabæi, Getuli, Sabathæi, Dedamites, Chaldæi, Aſſyrij, Sidonij, Iebuſæi,*

Structor. Geneſis 6. Geneſis 11. NAFESSA diſperſa eſt. Pſalmo 2. TENAFECEM diſperges eos.

Amorrhæi

Amorrhæi, Gargaſæi, Elamitæ, Lydi, Aramæi, Tracônitides, Armeni, Hyrcani, Mæones orti ſunt. Idcirco vocatum eſt (inquit Scriptura) nomen eius Babel, quia ibi confuſum eſt labium vniuerſæ terræ.

In ruſticulo Eſau) *quia ruri degebat, vt eſt in Geneſi.*

Quomodo Hieroboam piſtor?

In piſtore Hieroboam) *Num Hieroboam panes vnquam coxit, aut pinſuit? quomodo ergo piſtorem vocat? Fateor me diu hæſiſſe, Regũ & prophetarum percurriſſe volumina. tandem quod D. Proſper ait:*

D Proſper de ſtudio ſacrar. liter.

Inuigilare tamen ſtudio ne deſine ſancto,
Qui dedit vt quæras, addit vt inuenias.

Itaq; Oſeas Propheta regem hunc coquentem, & fermentatorem vocat. Nam cùm de graui idolatriæ ſcelere, quæ ab rege iſto inducta eſt, populum Iſraeliticum reprehendit, vnde tot mala orta, & latius indies propagata eſſe dicit, hæc inter cætera ponit: Circumdederunt eos adinuentiones ſuæ coram facię mea factæ ſunt in malitia ſua, lætificauerunt regẽ, & in mendacijs ſuis principes. Omnes adulterantes, quaſi clibanus ſuccenſus à coquente, quieuit paululum ciuitas à commiſtione fermenti, donec fermentaretur totum. Die regis noſtri cæperunt principes furere à vino, extendit manum ſuam cum illuſoribus. Quia applicauerunt quaſi clibanum cor ſuum, cùm inſidiaretur eis, tota nocte dormiuit coquẽs eos, mane ipſe ſuccenſus quaſi ignis flammæ.

Oſea 7.

Sed quoniam contendebat Dina, aquam effundebat Aarôn, & nudus erat Ionas, tunc ſolem petebat Auſes, vt ſiccaretur Berſabee) *Obſcurus & impeditus locus, ſi verba tantum, non myſticũ ſenſum ſpectes. Etenim figuras more ſuo perſequitur, ſemper tamen ad Scripturam, eaq; quæ aliquibus in ea contigiſſe legimus, ſcopum totius orationis referens. Itaq; ſi quis iurgij, & contentionis cauſam dederit: Contentionis aquas effundere dicitur. Qui deſtitutus ab alijs omni præſidio caret, Nudus eſſe: Quem Deus tuendum, fouendumq; ſuſcipit, quod expertus eſt Ionas, is quaſi diuini ſolis radijs, ex illis contentionis aquis exſiccari, id eſt, liberari dicitur. Ergo, quæ ſeorſim, ſingulis in Scripturis ſanctis dicuntur contigiſſe, vt narrationem conuenientiorem & venuſtiorẽ redderet, quaſi alia ex alijs penderent, coniunxit, & coagmentauit. quoniam ergo Dina contentionis illius, imò cædis & ſtragis Sichimitarum cauſa fuit, contendiſſe ait. Aaron verò aquam effundit, ex eo quod eſt in Exodo:*

Geneſis 34.
Exodi 3.

xodo: Miſſa aqua lauabunt in eã Aaron, & filij eius manus ſuas, & pedes. Exodi 30. *Ionæ nuditatem ex eius hiſtoria ſumit: Parauit Deus vermem in* Ionæ 4. *aſcenſu diluculi in craſtinũ, & percuſsit hæderam & exaruit, & cum ortus fuiſſet ſol, præcepit Dominus vento calido, & vrenti, & percuſsit ſol ſuper caput Ionæ. quippe areſcente hædera nudus, & radijs ſolaribus expoſitus manet. Auſes verò (ſi Ioſue eſt, vt diximus) petit, ne ſol* Auſes. *contra Gabaon moueatur: Tunc locutus eſt Ioſue Domino: Sol contra* Ioſue 10. *Gabaon ne mouearis. Siccatur Berſabee ex lotionis madore, ex eo: Vidit autem Dauid ſe lauantem poſt meridiem ſuper ſolarium ſuum, eamq́;* 2 Regum 10. *tulit, ac dormiuit cum ea. Hæc quanquam inter ſe non cohærent, tamen ſimul coniuncta & coagmentata diuinam prudentiam oſtendunt, eamq́; ijs rebus omnibus, quæ hominibus contingunt, dominari ſignificant.*

Iuſsit Rex ad ſe venire, qui venerunt altera die, & munera ei obtulerunt) *Munera, gratiarum actiones intelligo, quas pro beneficijs, id eſt, lautiſsima hac mundi cœna, quam omnibus inſtruxit, & apparauit Deus, agere debemus. Itaq; hiſtorias Scripturæ ſacræ reſpiciens, ea quæ cum illis aliquam habent conuenientiam, à quibuſdam oblata eſſe dicit.*

Primus obtulit arietem Abraham) *ex Geneſis hiſtoria: Sume* Geneſis 15. *mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum triũ.*

Taurum Tecla) *Ex ijs quæ antea de feris dicebamus, ſpectaſſe illam* Tecla. *beſtias intrepidam.*

Ouem Noe) *Tollens (inquit) de omnibus pecoribus & volucri-* Geneſis 8. *bus mundis, obtulit holocauſta. Rebecca verò, quoniam conſcenſo ca-* Geneſis 24. *melo, virum ſecuta eſt, Camelum offert. Leonem Samſon, ex Iudicum* Iudicum 14. *hiſtoria. Eſau Ceruum, ob ſtudium venandi.* Geneſis 25.

Vitulum IESVS) *Alia exemplaria Vitulam, quod magis probo, ob magnum quod hîc latet Sacramentum, & paucis vt arbitror cognitum. ſed tamen in re difficilima dabo operam, vt meæ diligentiæ ac laboris fructus aliquis appareat. neq; puto charitatis Chriſtianæ eſſe, qualecunque id lumen ſit, ſi ex hoc meo labore, atq; vigilijs, præferente lumen menti meæ ſancto illo ſpiritu, qui in domo quamuis ſordida ſuam tamen intactam, & illibatam retinet dignitatem, qualecunq; id lumen ſit, diutius illud incluſum continere. Deum enim ipſum teſtor, cui vni deditus ſum, nunquam ante hanc horam, in qua hæc commentari cœpi, multarum rerũ,*

quas ſcripſi, non modo plenam notionem, ſed ne veſtigium quidem, ad in-
dagandum ullum in mentem veniſſe, ut facilè Dei donum intelligam,
nec tam mea cauſa ab eo mihi tributum, quàm vehementis mei ardoris, et
deſiderij quo ad ſacrarum literarum ſtudium ſum à puero vehementer in-
Vitula. cenſus. Itaq; Vitulum IESVS, ſed vitulam potius, id eſt, carnem ſuam
ſanctiſsimam dicitur obtuliſſe. Cumq; vitulam vocat; opinor Numero-
rum locum de Vitula rufa ante oculos habuiſſe. Integrum adſcribam, &
Numeri 16. Sacramentum conabor explicare: Præcipe filijs Iſrael, ut adducant ad te
Sacrificium vacca rufæ. Vitulam rufam, ætatis integræ, in qua nulla ſit macula, nec portauerit iu-
gum, tradeſq; eam Eleazaro ſacerdoti, qui eductam extra caſtra immola-
bit in conſpectu omnium, & tingens digitum in ſanguine eius aſperget
contra fores tabernaculi ſeptem vicibus, combur etq; eam cunctis viden-
tibus, tàm pellè & carnibus eius, quàm ſanguine & fimo flammæ tradi-
tis. Lignum quoq; cedrinum & hyſſopum, coccumq; bis tinctum ſacerdos
mittet in flammam, quæ vaccam vorat. Et tunc demum lotis veſtibus,
& corpore ſuo ingredietur in caſtra, commaculatusq; erit uſq; ad veſpe-
rum. ſed et ille, qui combuſſerit eam, lauabit veſtimenta ſua, & corpus, &
immundus erit uſq; ad veſperum. Colliget autem vir mundus cineres
vaccæ, & effundet eos extra caſtra in loco puriſsimo, ut ſint multitudini
filiorū Iſrael in cuſtodiam, & in aquam aſperſionis, quia pro peccato vac-
Hebræorum error. ca combuſta eſt. Tradunt Hebræi huiuſmodi ſacrificium fieri, ob pecca-
tum vituli adorati. ut virtute huius ſacrificij, quod tanta cura fieri præ
cipitur, admiſsi illius ſceleris contingeret expiatio. Sed obſtruamus illis
ora. Agite ô boni, ſi virtute animalis fit expiatio, cur debilior ſexus, fœ-
mina nempe non maſculus, aſſumitur? Tum ſi cinis inquinatos munda-
bat, quomodo ſacerdos cinerem extra caſtra portans inquinabatur? ecquid
cinis ille purgabat inquinatos, inquinabat puros & mundos? Ergo ne quis
Cur vitula, non vitulus offertur? credat expiationem iſtam animalis virtute contingere, ſed Chriſti in quo
omnia mundantur & expiantur, cuiusq; vacca hæc rufa figura eſt præcla
riſsima, idcirco debilior ſexus aſſumitur & immolatur. Sed quomodo Chri
ſtus fœmineo genere ſignificatur? Sicut vir (inquit Paulus) caput eſt mu-
1 Corinth. 11. lieris, & caput viri Chriſtus, ſic Chriſti caput eſt Deus. Ergo Chriſti
Chriſti humanitas vitulus. humanitas, Dei comparatione vicem fœminæ quodammodo præ ſe ferre
uidetur, quemadmodum etiam nos, cùm diuinum illud ſemen ſuſcipimus,
Eſaiæ 26. &: A facie Domini concipimus, & parimus ſpiritum ſalutis. Rubea,
quòd il-

quod illum repræſentaret, qui lauit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum, id eſt, corpus multo ſanguine cruentatum. Neq; Chriſtus iugo vnquam peccati preſſus eſt, qui neq; peccatum fecit, neq; inuentus eſt dolus in ore eius. Extra caſtra comburitur, vt Chriſtus etiam extra portam paßus eſt. Porrò quemadmodum ſacerdos digito ſepties intincto eos aſpergebat: ita Chriſtus ſanguinem fudit in aſperſionem omnium, qui extra tabernaculum, id eſt, veram Chriſti Eccleſiam exiſtunt. Lauit enim nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. & apertè Eſaias: Iſte aſperget gentes multas. Porrò ſeptenarium, remißionis ac veniæ numerum vocant Hebræi. vt ſanguis ille noui & æterni teſtamenti pro multis eſſunditur in remißionem peccatorum. De extis & fimo explicare facilè eſt. nihil in Chriſto fuiſſe quod non ſit pro nobis oblatum, vt de tanta plenitudine omnes etiam acciperemus. Languores, infirmitates, miſerias & ærumnas noſtras, quæ fimus ſunt, expurgandas ſuſcepiſſe. Coccus verò vis eſt amoris vehementißimi, quo ille erga nos adficiebatur. Cedrus ad crucem referatur, quæ ex eo ligno creditur confecta. Cinis extra caſtra, & Chriſtus extra portam ſepultus. Qui vaccam comburunt immundi, & qui Chriſtum crucifigunt inquinati vſq; ad veſperam, id eſt, diuini illius ſolis occaſum, quo occidente, omnes qui ita volunt, purgati mundatiq; ſunt. Immundi qui cineres vaccæ diſpergebāt, item qui Chriſti corpus, adhibitis cuſtodibus, ſi non re, incredulitate tamen, & malitia diſperſerunt, iudicantes illud etiam in puluerem conuertendum. Qui cineres illos tangunt, ſi polluti ſunt, mundantur: item Sacroſanctum Chriſti corpus emundat conſcientias noſtras, ab operibus mortuis, vt ſcribit Paulus: ſi non indignè quis manducat & bibit. Itaq; vt mundaret ſibi populum acceptabilem, pro expiatione noſtra, vt alteram vitulam, ſe in ſacrificium obtulit.

Ruſſa. Iugum peccati. Extra caſtra. Hebræorum 13. Ioannis 1. Eſaiæ 25. Septenarius numerus veniæ & indulgentiæ. Exta comburi. Fimus vitulæ miſeriæ noſtra. Coccus. Cedrus. Ad veſperam immundi quid? Chriſtus ſol. Hebræorum 9. Tit. 2.

Iumentum Iacob) *Fratri nuncium miſit: Habeo (inquit) boues & aſinos &c.* *Geneſis 32.*

Currum Elias) *Currus igneus, & equi ignei diuiſerunt inter Eliam, & Eliſeum, quando aſcendit Elias per turbinem in cælum.* *4 Regum 2.*

Veſtem Iudith) *Induit ſe veſtimentis iucunditatis ſuæ.* *Iudith 10.*

Crines Berſabee). *Poſt meridiem lauabat ſe ſuper ſolarium ex aduerſo Dauid, eratq; mulier pulchra valde. & rectè lotionem ad capillos retulit, non enim veriſimile eſt, patenti & edito loco corpus lauiſſe.* *2 Regum 11.*

Ligna Iſaac) *Tulit Abraham ligna holocauſti, & impoſuit ſuper Iſaac filium ſuum.*

Geneſis 41. Frumentum Ioſeph) *Tempore famis alimenta omnibus ſubminiſtrabat.*

Reſinam Ruben) *Dixi ſuperius, & cæteris, & huic primogenito filio dixiſſe patrem: Sumite de optimis terræ frugibus modicum reſinæ & mellis.*

Geneſis 43.

Pecuniam Abimelech) *Ita ille ad Saram: Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum, ad omnes qui tecum ſunt.*

Geneſis 20.

Strobilos Leui) *De nucleis vel nucibus pineis, ſemel atq; iterum diximus. Cur autem ſicut ipſi Ruben reſinã, qui primogenitus erat, non Symconi ſtrobilos, natu ſecundo, ſed Leui tribuat, etiam dixi, fuiſſe illum tum temporis in vinculis.*

Geneſis 42.

Capſam Moyſes) *Fiſcellam ſcirpeam dicit, qua ille incluſus fuit à matre, & poſitus ad fluminis ripam. hanc rectè Capſam vocat, ex Hebræo THEBAN arcula, quam vocem LXX. Græcis literis ſcribentes, reliquerunt θηβῆ, quæ vox nuſquam apud Græcos reperitur. Vas rotundum ex vimine complicatum Ioſephus dicit, ſed non ſatis explicat. Naſcitur ergo ad ripam Nili GOME papyrus, ſiue iuncus, lenis & rotundus, hominis ſæpe groſſitiem, & craſſitudinem ſuperans. Ex his papyraceæ Canoæ conficiuntur, quas KELE GOME, id eſt, Vaſa papyri vocat Iſaias, nempe ſcirpea illa nauigia (videant qui ſine cognitione linguarum Sacras literas tractant quam fœdè labantur, qui vaſa papyri, epiſtolas quæ per Legatos mitterentur interpretati ſunt) Scirpum igitur Iocabed interius excauat, commiſſuras, pice & bitumine oblinit, ne aqua penetraret, ibi Moſem filium includit & exponit.*

Exodi 2.

THEBAN ciſta iuncea.

Ioſeph.

GOME papyrus, ſiue iuncus.

Eſaiæ 18.

Qui mittit in mare legatos, & in vaſis papyri ſuper aquas.

Vaſa papyri, nõ epiſtolæ ſunt, ſed nauigia et cimbæ

Fauum Petrus) *Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & fauum mellis.*

Lucæ 24.

Copias Abigea) *Quænam Abigea? Auſim affirmare ſcriptum fuiſſe Abiſag, ex quo corruptum Abigea. Copias autem, non militares dicit, Sed militiæ neruos, & multarum pecuniarum theſauros, quos bellum abſumit. Nam de Abiſag in Regum hiſtoria legimus: Quæſierunt adoleſcentulam ſpecioſam in omnibus finibus Iſrael, & inuenerunt Abiſag Sunamitem, & adduxerunt eam ad Regem. Erat autem puella pulchra ni-*

Corruptè legitur Abigea, pro Abiſag.

3 Regum 1.

ebrâ nimis, dormiebatq́ cum Rege, & miniſtrabat ei. In Hebræo non eſt: Dormiebat cum Rege, ſed: Erat SOKENETH, id eſt, Theſauraria Regis. Eſſe autem SOKENETH Theſaurariam, ex alijs Scripturæ locis probant Hebræi. Nam apud Eſaiam quod dicitur: Vade & ingredere ad SOKEN iſtum, Sobnam: Ærarij præfectum, Diſpenſatorem & Quæſtorem ſignificat. Item in Paralip. bis eadem vox pro theſauris poſita reperitur.

SOKENETH theſauraria. *Eſaiæ 22.* *2 Paralip. 32.* *2 Parlaip. 17.*

Sed quoniam ante diem conuiuij, quædam de conuiuio ſubducta fuerant, iuſſu Regis inquirebatur ab eis) *Ex Hebræorum ſententia dictũ eſt: qui præuaricari eum, & furti ſe alligare dicunt. qui abſq; gratiarum actione, vllam ex rebus creatis voluptatem capit, quod vt ſignificet, quoſdam ex Sacris ſcripturis inducit, qui aliquid ſuffurari videntur, quo ænigmate nil aliud ſignificat, quàm eorum hominum ingratitudinẽ, qui ita beneficijs acceptis perfruuntur, vt ingrati & immemores nullis beneficentiſſimo illi omnium conditori & largitori, gratias referant.*

Quid furtum Hebræis?

Inuoluerat ſtragulum multicolorium Agar) *Achan, ſiue Achar, (vtroq; enim nomine vtitur Scriptura) hic eſt, qui peccauit in furto Anathematis, vt ante expoſui.*

Sigillum aureum Rachel) *Furata eſt idola patris ſui. At quod Latina tranſlatio Idola dicit, TERAFIM habet Hebræus codex. Eſt verò Terafim, inſtrumentum aſtronomicum, quem annulum vocant Aſtronomicum, ſiue Aſtrolabium, & Planiſphærium, quo cum Laban ad futurorum præſcientiam vteretur, Idola ideo vocat Latinus. hic verò ſigillum, ob cæleſtium rerum imagines, & figuras quæ ibi eſſent impreſſæ. Ecquid ſi ſigillum aureum dixit, ob archas & anulos, quos cũm illa, ut ſponſa primaria, accepit Iacob? An potius quòd ex Beniamin & Ioſeph illius filijs regia proles fuit propagata? Sigillum enim & anulum aureũ, ad regnũ pertinere, ex Aſſueri hiſtoria conſtat. quæ ſequuntur de Thamar, Beniamin, Iudith, Dauid, & Abimelech, non egent explicatione.*

Ioſue 7. *1 Paralip. 2.* *Teraphim quid?* *Sigillum.* *Eſther.*

Tunc iuſsit Rex, vt omnes qui fuerunt in conuiuio, ducerentur ad tormenta) *Animaduertit ſupremus ille Rex in ingratos homines, ac occultis ſæpe cauſis ſimul cum improbis plectuntur innocentes. Ita Angeli ad Loth: Surge tolle vxorem tuam, & duas filias quas habes,* *Geneſis 19.*

Digitized by Google

ne & tu pariter pereas in ſcelere ciuitatis. Aptè igitur ad præſens inſtitutum, multorum hiſtorias accomodauit.

Primus omnium innocens decollatur Ioannes) *Notum eſt, de Herode, & capite in diſco allato. Item ea quæ ſequuntur, de Abel, Adam, Zacharia, Iacob, Enoch. Primus à fratre cæſus. Secundus paradiſo pulſus. Tertius lapidibus obrutus. Quartus fratrem Eſau fugit. Enoch quæritur, quia tulit eum Deus, neq; apparuit. Abimelech verò Saram vxorem Abrahæ rapit, & à Deo cæditur. Nabuchodonoſor verò ex hominum congreſſu, & conſuetudine pellitur, fœnum vt bos comedit, rore cœli corpus eius perfunditur, donec capilli eius in ſimilitudinem aquilarum creſcerent, & vngues quaſi auium, vt ait ſcriptura. Porrò Epiphanius: Præferebat (inquit) anteriore parte, & capite bouem, pedibus verò, & poſterioribus Leonem. Quamobrem, retinens etiam dum in corde ſuo humanum ſenſum, ingenti luctu perculſus, eiulabat. Linguaque eius ligata hæſerat, ne verba faceret, & vox bruti data eſt ei. Plæriq; verò ſummi magiſtratus, ſimul & ciues, ſpectatum ipſum vrbem egrediebantur, ſolus Daniel illum viſere detrectabat. Sed aſſiduè pro eo precationibus vacabat, dixitq; futurum, vt iterum formam hominis indueret, principatusq; ſui gubernacula reſumeret &c.*

Danielis 4.

D. Epiph. in vita Danielis.

Geneſis 18. Deprecabatur Abraham) *Vehementer inſtabat apud Angelos pro Sodomitis.*

4 Regum 2. Transfertur Elias) *Aſcendit per turbinem in cælum.*

Geneſis 7. Includitur Noe) *Et incluſit eum Dominus deforis, in arca cum eſſet. Dina verò à Sichem comprimitur. Agar cum filio domo pellitur.*

Geneſis 21.

Suffigitur IESVS) *Nempe crucem eligit, quia horribilius omnibus erat ſupplicium, & truculentius. neq; vllum magis infame, ſeruorũ tantùm, & latronum criminibus deputatum. Hoc enim vult Paulus, cum ait: Vſq; ad mortem, mortem autem crucis. Quid autem iſta breuitate ſermonis ſibi velit Apoſtolus, Cicero abundè explicauit. Miſera eſt (inquit) ignominia iudiciorum publicorum. miſera multatio bonorum. miſerum exilium. ſed tamen in omni calamitate, retinetur aliquod veſtigium libertatis. Mors deniq; ſi proponitur, in libertate moriamur. Carnifex verò, & obductio capitis, & nomen ipſum crucis, abſit non modo à corpore ciuium Roman. ſed etiam à cogitatione, oculis, auribus. Harum*

Crux.

Cic. pro C. Rabirio.

enim

enim omnium rerum, non ſolum euentus, atq; perpeßio, ſed etiam condi-tio, expectatio, mentio ipſa denique indigna ciue Rom. atq; homine libero eſt.

Damnatur Daniel) *Leonibusq́; obijcitur.* Danielis 6.

Accuſatur Suſanna) *de adulterio.* Danielis 13.

Alligatur Ioſeph) *Cùm in ciſternam demittitur. Item cum alijs in vinculis exiſtens: Humiliauerunt in compedibus animam eius.* Geneſis 37. Pſal. 104.

Tollitur Abacuk) *Apprehendit Angelus Domini in vertice eius, & portauit eum capillo capitis ſui.* Dan. vltimo.

Beſtijs datur Tecla) *Superius ex Ambroſio dictum.* In beſtiario Tecla.

In fornacem Ananias) *Ita eſt in Daniele, ſub nomine Sidrach.* Danielis 3.
De Samſone, item in Iudicibus. Iud. 16.

Punitur Vrias) *Regis mandato cæſus.* 2 Regum 11.

Flagellatur Paulus) *Ter virgis cæſus ſum. quadragenas vna minus accepi.*

Tenditur Eſaias) *Cùm medius ſectus eſt.*

Spoliatur Ionas) *Hederæ illius vmbra, atq; ſolatio.* Ionæ 4.

Lapidatur Ieremias) *à Paſſur.* Ieremiæ 20.

Non credebant Moyſi) *Ægrè populus illi parebat, vt ex multis locis conſtat.* Exodo.

Subducitur Abirom) *à Coreh, in ſeditione aduerſus Moſem excitata.* Numeri 16.

Suſpenditur Abſalom) *Notum.* 2 Regum 18.

Confunditur Rebecca) *Cōſpecto viro erubuit, & pallio ſe operuit.* Geneſis 24.

Tranſducitur Agar) *In deſertum Pharan cum Iſmaele filio.* Geneſis 21.

Arguitur Pharao) *à Moſe locis ſæpe multis.* Exodo.

Deprimitur Core) *Abſorbuit illum ingens terræ hiatus.*

Copulatur Iſaac) *Alligatis manibus pedibusq́;, vt mactaretur.* Geneſis 22.

Mittitur Natan) *à Domino, vt ſuam indignationem de adulterio Dauidi denunciaret.* 2 Regum 12.

Maledicitur Iudas) *Fideiuſſor factus, de reducendo Beniamin, ſub imprecationis pœna: Ego ſuſcipio puerum, de manu mea require illum, niſi reduxero & reddidero eum tibi, ero peccati reus in te omni tempore.* Geneſ. 43.

Dehoneſtatur Mambres) *Facta ſunt vlcera veſicarum turgentium in hominibus, & iumentis, nec poterant malefici ſtare coram Moyſe,* Exodi 9.

propter

propter vlcera quæ in illis erant, & in omni terra Ægypti.

Geneſis 18. Cogitur Loth) *à Sodomitis. vim enim ferè paſſus eſt.*

1 Regum 4. Interficitur Phinees) *Filius Heli, in prælio caſus.*

Dimittitur Ofni) *In prælium, Heli frater, vbi etiam occubuit.*

1 Regum 28. Subſtringitur Saul) *Subſtringi vocat, in magnis anguſtijs eſſe, ex eo quòd cum dixiſſet ei Samuelis vmbra: Quare inquietaſti me vt ſuſcitarer? Coarctor (inquit) ſiquidem Philiſtijm pugnant aduerſum me.*

Iob 4. Dolet de facto Iob) *Pereat dies in qua natus ſum, dicebat, ob doloris magnitudinem.*

Geneſis 3. Interrogatur Eua) *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno?*

Neſcio clamat Cain) *Ita reſpondit ſe neſcire, rogatus à Domino de fratre.*

Geneſis 4. Tenetur & negat Petrus) *Deprehenſus, cùm à cæteris, tùm ab ancilla Pontificis, negauit ſe hominem noſſe.*

Sed quoniam multorum conſcientia erat in furto, quod erat ſuſpiciens Raab) *Exploratores miſſi in Iericho, ſilentio ire iuſſi ſunt, qui quòd occultè ingreſſi: In furto eſſe dicuntur, hos ſuſpicit, & veneratur Raab, imò ab ijs qui Regis nomine dicebant: Educ viros, qui venerunt ad te, eos defendit ac tutata eſt.*

Ioſue 2.

Geneſis 24. Querebatur Laban) *Aduerſus Iacob. Quare ita egiſti, vt clam me abigeres filias meas?*

Arguebat Ioannes) *Tùm in deſerto prædicans pœnitentiam, tùm verò Herodem: Non licet tibi habere vxorem fratris.*

Geneſis 31. Negabat Rachel) *De Teraſim. nam quærente patre, abſcondit illa ſubter ſtramenta cameli, & ſedit deſuper.*

Clem. Alex. protreptico. Docebat Moyſes) *Quid attinet multa dicere? Conſtat enim doctorem fuiſſe & Legislatorem excellentiſſimum. Et quod ait Clemens Alex.* προφητικὸς, νομοθετικὸς, στρατηγικός, *Propheticus, legum ferendarũ peritus, inſtruendæ aciei gnarus, exercitus ducendi artem tenens.*

Roma Chriſtum recipit. Plorabat Triphena) *Poſtquam Chriſti diſcipulos Iudæi Hieroſolyma expulerunt, nouæq́; fidei ſurgenti interitum illa exterminatione afferre rati ſunt, illam per orbem magis terrarum diſſeminauerunt, feceruntq́ue claram inter gentes ac illuſtrem. Vrbs Roma ad ſe venientes excepit, il-*

pit, illorumq́ vocibus erudiri cœpta, paulatim nomen Domini I E-S V C H R I S T I *didicit non aſpernari. Ergo inter natiuos Italos (erat enim etiam Iudæorum in vrbe magna copia) aliarumq́ nationum homines, ſanctum* C H R I S T I I E S V *nomen vulgari, & adorari eſt cœptum. Cumq́ conuentus cunctorum gregatim fierent, coirentq́ in vnum Iudæi cum gentibus, inter hos Narciſſi domus, & Triphenæ, aliorumq́ multorum quorum meminit Paulus. Porrò Narciſſus, opinor ille Claudij Cæſaris libertus inprimis gratioſus, & potens, principio imperij Neronis Agrippinæ opera interfectus. At Tryphenæ quis vnquam aut Sacrorum, aut Ethnicorum meminit? Nemo credat, quantum fuerit mihi tædium deuorandum, quantum chartarum, & librorum percurrendum, ſi fortè Tryphenám hanc à Paulo nominatam reperio. Tandem Surij vitas aliquot excutio, etenim præſagiebat animus me aliquid reperturum. nam cùm à Paulo nominetur, erat rationi conſentaneum, vt in eorum vita, qui ea tempeſtate Romæ vixerunt, aut pro* C H R I S T O *cæſi ſunt, nominaretur. Ita fuit, nam in vita Teclæ ab Adone Treuerenſi conſcripta, hæc verba reperio: Commendatur Tecla, cuidam nobili fœminæ, quæ propinqua Cæſaris erat, nomine Tryphena. ſtatim reducitur B. Tecla ad domum Tryphenæ, vt in craſtinum iterum beſtijs obijceretur. quam cùm miniſtri de domo repeterent, Tryphena doloris plena ſequitur eam vſq́ ad ſpectaculum. ideo doloris plenam dicit. noſter verò: Plorabat Tryphena.*

Narciſſus Cæſaris libertus.

Surius.

Ado Treuer.

Tryphena de Cæſaris familia.

Obſeruabat Maria) *Soror Moyſis, fratre ad Nili ripam expoſito, procul ſtabat conſiderans euentum rei. & Sanctiſſima virgo: Obſeruabat omnia verba hæc (ait Euange:) in corde ſuo.*

Exodi 2.

Attendebat Oneſiphorus) *Fortaſſè Oneſimus, cuius & Paulus, & Hieronymus meminerunt. Attendebat verò, propter illud dictum eſſe puto: Quæ circa me ſunt, omnia vobis nota faciet Tychicus chariſſimus frater, & fidelis miniſter, & conſeruus in Domino, quem miſi ad vos, ad hoc ipſum, vt cognoſcat quæ circa vos ſunt (hoc vocat Attendere) & conſoletur corda veſtra, cum Oneſi-*

Coloſ. 4. Hieron. præfat. ad Theſſalon.

mo chariſſimo & fideli fratre, qui ex vobis eſt, qui omnia quæ hic aguntur, nota facient vobis.

Triſtis erat Iob) *Quis eſt, qui hiſtoriam ignoret?*

Genesis 28. Iurabat Iacob) *Vouit etiam votum: Si fuerit Dominus mecum, & cuſtodierit me in via &c. Erit mihi Dominus in Deum, et lapis iſte, quem erexi in titulum, vocabitur Domus Dei, cunctorumq́ quæ dederis mihi, primitias offeram tibi.*

Exodo. Non credebat Pharao) *Dictis, factisq́ Moyſis incredulus, & proteruus.*

Mentiebatur Ieroboam) *Defecit à Domino. hoc credo vocat Mentiri. Ita eſt in hiſtoria Regum.* 3 Regum 11. *Ieroboam quoq; filius Nabath Ephrathæus de Sareda, ſeruus Salomonis, leuauit manum contra Regem &c. De Suſanna, Rebecca, Hieremia, Beniamin, dixi antea.*

Poſteaquam probatum eſt Regi, quòd Achar filius Charmi, ſolus reus eſſet furti) *Quanquam innocentes aliquando calumniam patiantur, plectanturq́ cum impijs, ita enim ſuorum ſæpè patientiam, & conſtantiam exercet Deus, quod hactenus multis recenſendis confirmauit, tamen quod in Præfatione dicebam, totius narrationis eſſe ſcopum, oſtendit tandem, impios homines, qui reuera furti ſunt rei, debitis ſupplicijs, & pœnis adfici, & in operibus (quod ait Dauid)* Pſalmo 9. *manuum ſuarum comprehendi. quod vt ſignificet, vſitato vtitur exemplo Achar, qui & Achan, qui in Anathematis furto deprehenſus eſt, eiq́ dixit Ioſue: Quia turbaſti nos, exturbet te Dominus in die hac. Lapidauitq́ eum omnis Iſrael, congregaueruntq́ ſuper eum Aceruum magnum lapidum. & auerſus eſt furor Domini ab eis. Placere verò omnibus diuinam voluntatem, iuſtiſſimumq́ illius decretum, & vt iuſta impiorum ſceleribus ſupplicia reddantur, ſignificat in figura, cùm ait conſenſiſſe, & accurriſſe multos ad illorum hominum perniciem, & cædem.*

Agar. Achar, Achan. Ioſue 7.

Itaq; primus calce percuſsit Moyſes) *Aliud ex alio. quoniam*

niam iuſſus eſt, ad rubum ſoluere calceamenta pedum, occaſionem ſumit, & calce percußiſſe dicit. Exodi 3.

In complexum Iacob) *Medium amplexatus, vt in terram deijceret, quod faciunt in lucta pugiles. item ex illo: Vir luctabatur cum eo, vſq. ad mane.* Geneſis 32.

Veſtem detraxit Tecla) *Quoniam ſpoliata eſt, cùm martyrio extincta.* Ado Treuer.

Ad terram eliſit Daniel) *Dixi ſuperius de eliſa ſtatua, diruptoq. Dracone.* Dan. 2, 13, 14.

Lapide percuſsit Dauid) *nempe Goliam.* 1. Regum 13.

Virga Aaron) *Nam ea in tabernaculum inducta, qui accedebant moriebantur: Refer (inquit Dominus) virgam Aaron in tabernaculum teſtimonij, vt ſeruetur ibi, in ſignum rebellium filiorum Iſrael.* Numeri 17.

Flagello IESVS) *ementes & vendentes.*

Medium aperuit Iudas Lancea transfixit Eleazar) *Filij Mathathiæ, ſtrenui ambo, & bellicoſi. ideo illis, quod fortium militum eſt, lancea ferire, & medios transfodere, attribuit.* Machab. 2.

Iuſsit Rex, vt mortuus ſepeliretur) *Non honoris gratia. ſed ſepeliri dixit, nomen de memoria deleri. Ita Salomon: Vidi impios ſepultos. Caius occaſione ea perſequitur, quæ ad funus neceſſaria ſunt.* Eccleſi. 8.

Vendidit agrum Laban) *Legendum ex alijs etiam MS. Ephron. hic enim agrum vendidit Abraha, non Laban.* Ephron. Geneſis 23.

Emit Abraham) *Non ergo Laban, ſed Ephron, à quo ille emit.*

Ioſeph monumentum fecit) *Dictum eſt, patri monumentum ſtruxiſſe.* Geneſis vltimo.

Aedificauit Nachor) *Primarius fortè in Babylonicæ turris ædificatione, & ita ſcribit Philo.* Philo Bibli. antiquit.

Aromata impoſuit Maria) *Occaſio ſumitur ex illo Euangelij, cum ad vngendum Dominum, aromatum, & vnguentorũ ſummam coemit.* Geneſis 7.

Clauſit Noe) *Non monumentum, ſed arcam: nam illo cum cæteris ingreſſo, incluſit eum Dominus de foris.*

Superſcripſit Pilatus) *Nemo titulum ignorat.*

Clamat Zacharias) *Nempe filij merito voce ſibi reſtituta:*

Hymno D. Ioannis. *Ille promiſſi dubius ſuperni*
Perdidit promtæ modulos loquelæ.
Sed reformaſti genitus peremtæ
Organa vocis.

Confunditur Elizabeth) *Quòd ſterilis antea, videt ſe vterum gerere. Lucas: Poſt hos autem dies concepit Eliſabeth vxor eius (Zachariæ) & occultabat ſe menſibus quinq́, dicens: Quia ſic fecit mihi Dominus &c.* (Lucæ 1.)

Stupet Maria) *Quæ cum audiſſet turbata eſt, & cogitabat, qualis eſſet illa ſalutatio.* (Ibidem.)

Ridebat de facto Sara) *Rectè coniunxit, diuinos & admirabiles partus. Stupet Maria ad Angeli conſpectum, partum illi denunctiantis. Erubeſcit Eliſabeth. Sara verò ridet, quòd effæta ætate, & viro penè emortuo, audit ſe etiamdum parituram: Quo audito (inquit Scriptura) Sara riſit poſt oſtium tabernaculi.* (Geneſis 18.) *Quanquam riſus hic iuſtorum hominum gaudium, alacritatemq́ ſignificat, qua illi, impijs ſupplicio affectis, pulſa tandem iniquitate, omniq́ virtutum genere euocato, verè, & ex animo lætantur. Hoc enim eſt quod ait Dauid: Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.* (Pſalmo 57.) *Rurſus Salomon: In perditione impiorum erit laudatio, vel exultatio.* (Prouerb. 11.) *Iterum Dauid: Deficiant peccatores à terra, & iniqui, ita vt non ſint. benedic anima mea Domino.* (Pſalmo 103.)

Explicitis omnibus domos ſuas repetiuerunt) *Hic finis & ſcopus, vt nullo vitijs atque ſceleribus loco relicto, virtuti, iuſtitiæ, probitatique omnes ſtudeant, & ſpiritus tandem redeat ad Deum, qui*